



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Johannis Michaelis Dilherri Contemplationes, Et Suspiria
Hominis Christiani**


Dilherr, Johann Michael


Norimbergae, 1660


urn:nbn:de:hbz:466:1-10209





Th. 4481.












Ex Legato Celmi Principis Ferd
nandi Episcopi Paderb: et
Monaster: Anno 1683.

Collegij Socii Jesu Paderb.



CONTEMPLATIONES
ac Suspiria hominis
Christiani;
et
Specimen
Philologiae Sacrae
Joh: Mich: Dilherr
Norimbergae
Typis & Sumptibus
Michaelis Endteri
Anno
M.D.C.LX.

SPES.

PATIENTIA

En
n

Glückwünsche

A

M

JOHANNIS MICHAELIS
DILHERRI
**CONTEM-
PLATIONES,**
ET
SUSPIRIA
Hominis Christiani.

*Editio altera,
Priore multò emendatior.*
Accesfit Specimen Philologiæ
Patrum.



NORIMBERGÆ,
Typis & Sumtibus
MICHAELIS ENDTERI,
ANNOM. DC. LX.



TIBI,
JESU CHRISTE!

Fili viventis Dei, & Ma-
ria semper-virginis,
Domine vivorum &
mortuorum!

has meas Contemplationes,
& hæc mea Suspiria,
flens gemensque do, dico,
confecro:

& rogo, obsecroq; ut præ-
stes mihi,

in vita, adjutorium;
in morte, solatium;
in judicio, patrocinium;

Tuo
sanguine tuo redempto
adoratori

J. M. D.

LECTORIBUS MEIS

salutem, & veram animi
tranquillitatem

P.

N tempus illud jam
incidimus, quod, ante
compagis mundanae dis-
solutionem, venturum
esse, Salvator noster præ-
dixit: Videte; ne erretis; multi enim
venient in nomine meo, & dicent:
ego sum Christus: & tempus appro-
pinquat. Ne autem iveritis post eos.
Et cum audiveritis bella & tumultus;
ne timeatis: futurum est enim, ut hæc
prius fiant: sed nondum appropin-
quavit finis. Surget enim gens, con-
tra gentem; & regnum, contra re-
gnum. Et terræ motus magni erunt
in singulis locis, & fames, & mortes:
& erunt terrores, & propulsationes; &
signa magna conspicientur de cælo,
& tempestates magnæ erunt. Ante o-
mnia autem hæc, injicient vobis ma-
nus, & persequentur vos; & tradent

A 2

VOS

vos in synagogas, & in domum victorum, & præsentabunt vos ante Reges & præfides: propter nomen meum. Tradent vos parentes vestri, & fratres vestri, & cognati vestri, & amici vestri; & morte afficient aliquos ex vobis. Et eritis exosi ab omni homine.

De complemento hujus vaticinii qui dubitat: animum oculosq; in acta seculi mittat superioris; & Tragœdiam inueatur, quæ etiamnum in oculis luditur omnium; quæ corpus & fortunas purpurat singulorum: cuiusque catastrophe nec dum apparet. Quot exclusos in Tartaro Christos imaginarios serpens antiquus protrusit? nullum propè seculum præterlabi passus est; quin novos salutis auctores atque principes proculderet, novasque pietatis impie vias pararet: ut in tempus tandem fuerimus reservati ejusmodi: quo nullum feracius unquam fuit Religionum; sterilius Pietatis.

*Si quis cælo nobis delabatur sincerior
& immaculatio, qui rectam nobis semitam,*

AD LECTOREM.

mitam, ad sedes illas beatas, ostendat,
& fidem, quæ vitæ sempiternæ scala est
unica, opere jubeat vestiri, aliosque per-
sonatos Christianismi sectatores, pieta-
tem in corde magis, quàm in ore gesta-
re, factis acrius exercere, quàm verbis,
precipiat: absq; sibilo & fistula pastori-
tia vix abit.

Eveniunt hæc (audebo dicere) intra
Ecclesiæ etiam pomæria.

Quot veritatis Evangelicæ testes ab
Adversariis, jucundum sibi spectacu-
lum exhibituris, crudeli gladio feriendi,
edaci flamma concremandi, tenebricoso
carceri emaciandi, traduntur?

Gentem contra gentem exsurgere,
earumque pressuram terris insistere,
plus jam nostris temporibus cernimus,
quàm in codicibus legimus; patres in
filios, matres in natas, liberos in paren-
tes furere, & sævire, vel Christi vel fisci
causâ; quotidie experimur. Terra mo-
tus urbes obruere innumerabiles, si non
conspicimus: ex aliis certè mundi par-
tibus cognoscimus.

Ignearum in cælo acies, ipsumque, qui

A 3

postea

postea humani generis funditur, sanguinem referentes, & coruscantes videmus: confusio autem maris & fluctuum non una exorta est. Cetera taceo.

Quemadmodum autem, ut Gregorius Magnus scribit, (ex quo & quaedam, paulò antè posita, desumimus,) cum fluctus tumentes desuper imminuent, cumque eam, quam deferunt, mortem minantur; nulla carnis delictatio ad mentem reducitur; ea ipsa quoque ex navigio projiciuntur, pro quibus longa fuere sumta navigia, cunctaque res in despectum mentis veniunt, amore vivendi: ita nos quoque, cum ingruentes iræ Divinae fluctus deprehendimus, sarcinas terrenarum possessionum deponamus; desideria caduca removeamus, & pondus curarum omnium mundanarum abiciamus; tantum de vita, quam speramus, immortalis, jugiter solliciti. Ita futurum, ut sublevata devotionis nostræ navicula enatet; quæ mergatur onerata: quia nimirum curæ, quæ in hac vita deprimunt,

munt, mentem in profundum trahunt: quæ tamen tantò altius, inter tentationum fluctus, attollitur; quantò solici- tius ab huius seculi cogitatione va- cuatur.

Est verò & aliud, quod, in his tem- porum nostrorum tempestatibus, pensi- tandum. Tempestas cum oritur; prius leves undæ, & postmodum volumina- maiora concitantur; ad extremum flu- ctus se in alta erigunt, & navigantes quosque, ipsâ suâ altitudine, subver- tunt. Nunc quoque extrema illa, quæ universum mundum subruet, tempe- stas animarum properat: quæ bellis & cladibus, quasi quibusdam undis, sua nobis exordia ostendit: & quantò ad fi- nem quotidie propinquiores efficimur, tantò graviora irruere tribulationum volumina videmus. Ad extremum verò, commotis omnibus elementis, su- perveniens iudex finem omnium appor- tabit. Et sanè modicum adhuc est: quo movebit non solum terram, sed etiam cælum. Hanc tempestatem vigilanter debemus adspicere; timentes super nos

quotidiè fluctus expavescere: atq; ex his tribulationibus, quæ mundum feriunt, providere; quæ sint subsequutura.

Monet ipse Dominus: cavete vobis; ne quando graventur corda vestra, crapulâ & ebrietate. Ebrietas enim est blandus demon, dulce venenum, suave peccatum: quam qui habet, seipsum non habet; quam qui facit, peccatum non facit; sed ipse totus peccatum est. Utque anima vino libera, prudentissima est & optima; ita humectata vini vaporibus, quasi quadam nube velatur; confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, incurrit damnationem æternam. Monet: ne curis hujus vite implicemur. Non enim possumus duobus inservire; Deo & Mammonæ: amorq; divitiarum longè ampliùs torquet animam, quàm refrigerat: quarum quidem acquisitio laboris, possessio timoris, amissio plena invenitur doloris.

Monet: ut vigilemus omni tempore, orantes; ut digni habeamur effugere
mala,

AD LECTOREM. 9

mala, quæ futura sunt, & stare coram Filio hominis.

Vigilemus, ô Mei, vigilemus! Latet enim unus ille adventus dominici dies; ut timeatur omnis dies. Veniet Dominus ea hora, quæ non putaverimus; cum dicemus: pax, & tuta omnia.

Sive comedamus, sive bibamus, sive aliquid aliud agamus; semper insonet auribus nostris vox illa horrida: surgite mortui; venite ad iudicium.

Vigilemus, ô Mei, vigilemus! Beatus erit, quisquis, non sine memoria huius iudicii, omnia gesserit.

Oremus, ô Mei, oremus!

Oremus indefinenter, & magna voce clamemus, ad Dominum: quamvis lingvâ taceamus, bonis tamen operibus indefinenter clamemus. Oratio enim magis est cordis, quàm labiorum; magis est operis, quàm vocis. Non tam verba deprecantis Deus intendit; quàm orantis cor adspicit.

Quantò graviori tumultu carnalium rerum premimur; tantò orationi insistere ardentius debemus.

A 5

Ore-

Oremus indefinenter : quia indefinenter tentamur ; & indefinenter nos peccata circumvenire , mundus seducere , infernus deglutire , diabolus irretire conatur.

Ambiamus Deum , quasi manu factâ orationibus , ut peccata , mundum , infernum , diabolum vinciamus & devincamus ; & horam decretoriam ac diem pantocriticum innoxii exspectemus.

Non erit in nobis infrugifera oratio : quæ in aliis fuit fertilissima. Exstinxit enim oratio tribus pueris caminum ignis : conclusit ora leonum ; ne Danieli nocerent : Mosis seditionem compescuit ; Paradisum aperuit ; cœli cardines reseravit ; sterilem fecundavit ; solvit vincula Petri & Pauli ; dilatavit precatio- nis fiduciam ; Cornelium ad cœlum detulit ; Publicanum justificavit.

*Hanc ut ego mihi excitarem , & ingemiscendi ac suspirandi desiderium ex-
angerem : hoc haud ita pridem , cùm &
Hannibal ante portas , & Morta præ-
ceps , ab operis me feriari consuetis ju-
beret,*

AD LECTOREM. H

beret, suscitabulum concinnavi: quod cum amante litterarum ac pietatis juventute, cui totum me mancipio, ac cum aliis, si qui voluerint, lubens cōmunico.

Contentiones & rixas, quas nonnulli his talibus ingerunt, sciens volensque praterii: cum non tam voluerim ingenium acuere & expolire; quàm animum emendare, & perficere; nec sublimis etiam ingenii alâ terram & cœlum pervolare potuerim.

Styli æquabilitatem si quis desideret: aliorum me verbis loqui, & sententias congerere, veterum cum primis, maluisse, quàm meas, cogitabit. Non quo stylo sint hæc scripta, sed quo sensu, perpendet: nec an usitatè, sed an verè. Si enim recti sensus: inquit Belga doctissimus, quid refert, in re tam ardua, quo velo aut veste, modò non indecorâ, eos texerim? Mihi quidem mens ubique bona: & si alicubi humana hæc lingua, aut calamus, titubavit; ne asperè quæso nimis luam: cum nusquam malitia sit, aut pertinacia; sed humana saltem imbecillitas & caligo.

Si quis tandem mea hac nec stationis, nec ætatis esse; autumaverit: cum suo ego sensu abundare, & si velit, sapientem etiam sibi videri, haud invitus permittam. Chara, & curæ esse debet pietas omnibus, cujuscunque vel sint stationis, vel ætatis. Juvenis sum, inquit aliquis: faciam illud, quod me delectat; postea agam pœnitentiam. Idem est, ac si diceret: percutiam me gladio; postea confugiam ad Medicum.

Heu! nescis? unius horæ puncto vulnus accipitur: quod vix longo tempore ad sanitatem reducitur. Per te potes peccare; per te resurgere nequis. In qua gravissima B. Augustini sententia finio, & seriò conquiesco. Velim, Tu mecum.

CON-

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

I.

De magnitudine amoris
DEI.



Vigila, anima mea!
ex somno ignorantiae:
expergiscere, cor meum!
ex sopore pigritiae: elu-
ctare, spiritus meus! ex
profundo tenebrarum: & respice ad
Deum meum! Respice ad Deum
meum, qui oculis nequit adspici cor-
poreis; quia lucem habitat inaccessi-
sam: quem videre nemo potest, & vi-
vere.

Excito tamen, ô Deus meus! ad te
spiritum meum: elevo ad te cor me-
um; suscito ad te animam meam; o-
culos meos ad te attollo.

A 7

Medi-

14 CONTEMPLATIONES

Meditari, & considerare te cupit intellectus meus: sed unde incipiat, in quo pergat, & finiat, non videt. Plestra linguæ meæ tibi se movere parata sunt: sed neque prologum, neque epilogum, neque exordium, neque exodium inveniunt.

O Deus meus! duc me, & doce me: fove me, & juva me!

Si te intueor: quid se mihi offert primò? quid secundò? quid tertio? quid ultimò? Amor est, quod obversatur mihi: amor est, quod video: amor est, quod sentio. Scintillæ amoris sunt; quæcunque ante meos sunt oculos. Scintillæ sunt, in mari, pisces; scintillæ sunt, in campo, gramina; scintillæ sunt, in hortis, arbores, in arboribus, frondes, scintilla est Sol toties oriens, toties occidens: scintillæ sunt ejus radii, hoc universum collustrantes; scintilla est Luna; scintillæ ejus cornua; scintillæ sunt stellæ scintillantes; & omnes exercitus cælorum. Si tot mihi essent linguæ, quot membra mihi dedisti; si intellectus mihi

mihi esset angelicus: vestigia amoris
tui nec capere, nec eloqui possem. O
amor præceps! amor flagrans! amor
vehemens! amor te, intra te, cohibe-
re non valens! Cùm nihil essem; vo-
luisti, ut aliquid fierem: & creasti me
ad imaginem, non Solis, aut Lunæ;
nec Angelorum: sed ad imaginem tu-
am: ut in hac tibi vita servirem; & post
hanc vitam, nullâ morte, sed, non mo-
lesto transitu, mutandam, tecum re-
gnarem, & æternùm te laudarem.

Posuisti me in Paradisum, & hor-
tum voluptatis: non ut, cum bestiis,
belligerarem, aut rugitus leonum, &
fremitus urforum, metuerem: sed ut
omnes mihi bestię subjacerent, nutus
meos reformidarent, & humili me
obsequio oblectarent. Investigare
volo, Deus! opera tua: sed non pos-
sum, Deus meus! Scripsit aliquid Mo-
ses: sed scripsit & transiit hinc ad te.
Neque enim nunc ante me est: nam
si esset; tenerem & rogarem eum, &
per te obsecrarem, ut mihi admirabi-
lia creationis, in qua fons amoris tui
efflu-

16 CONTEMPLATIONES

effluxit, & ebullivit uberrimè, panderet; & praberem aures corporis mei, sonis erumpentibus ex ore ejus: admitterem etiam in domicilium pectoris mei; & pulsaret sensum meum, & tangeret mentem meam. Sed abiit, qui adumbravit mihi magnalia tua; & nemo est; qui explicet totum: cum tu ex parte tantum me volueris facta tua intelligere: dum à te, apud te, plenissimè erudiar. Nec tamen partem, quam concessisti & permisisti, satis intelligo: ô Omnipotentia!

Parce ergò, ô Misericordia! servo tuo, operi manuum tuarum! Manus tuæ plasmaverunt me; spiritus tuus animavit me; & vitam dedit vitæ meæ: dedit mihi, quæ nec numerare, nec ponderare valeo: Deus enim & Dei dona sunt talia. Ah! dona & hoc mihi: ut & hanc amoris tui stricturam impetrem: ut, qui creator meus es, sis quoque pater meus: & filium, tanto quidem patre indignum, ne respuas; ne rejicias: ne amoris tui facias exhæredem.

CON-

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

II.

*De primæva hominis nobili-
tate, & ejusdem defe-
ctione.*

IN honore fui, Domine, & Rex
cœlestis! tanto: quantus jam à me
non potest enunciari. Sed cùm in
honore fui: non intellexi. In quo ho-
nore habitabam? in loco deliciarum.
Conversatio mea nihil molestiæ, nec
indigentiae, sentiebat. Odoriferis
eram malis stipatus; fulcitus honori-
bus; gloria & honore coronatus: &
constitutus super opera plasmatoris.
Magis autem, ob insigne Divinæ simi-
litudinis, præcellebam: & erat mea
sors, ac societas, cum gente Angelo-
rum, & cum omni militia cœlestis ex-
ercitus: sed mutavi istam gloriam in
similitudinem vituli, comedentis fœ-
num.

18 CONTEMPLATIONES

num. Quot virtutibus fui amictus?
quid mihi deerat? quem misericordia
custodiebat, veritas docebat, iustitia
regebat, pax fovebat?

Sed eheu! quid dicam, Deus meus?

Propriam mihi dederas rationem;
qua supra omnia animalia eminerem:
eamque dote quadam sublimiore eve-
xeras: ut parum abesset, quin ad pu-
rissimos illos famulos tuos accederem.
Noveram hoc; sed non agnoveram:
neque enim, quem in finem tribueras,
conferebam.

Navim bonam dico, non quæ pre-
tiosis coloribus picta est, nec cui ar-
genteum, aut aureum rostrum est: nec
cujus tutela ebore cælata est, neque fi-
scis atque operibus regiis pressa est:
sed quæ stabilis, & firma, & vincturis,
aquam excludentibus, spissa, ad feren-
dum incursum maris solida, guberna-
culo parens, velox, & consentiens
vento. Gladium bonum dico, non
cui deauratus est baltheus; nec cui va-
gina gemmis distinguitur: sed cui &
ad secandum subtilis acies, & mucro
omne

omne munimentum rupturus. Regula non quàm formosa, sed quàm recta fit, quæritur. Eo quodque laudatur, cui comparatur; quod illi proprium est. Ergo & ego, qui hæc melius isto, atque hoc tempore, callebam, agnoscere debuisssem: bonum me tibi, & acceptum futurum; si ad imperii tui voluntatem me componerem. Sola me obedientia, quam requirebas, & quam, absque tuo mandato, tibi debebam, beatum & perfectum fecisset; si voluisssem: & detestandis antiqui serpentis suggestionibus non paruissem. Bonus quidem & ab ortu eram: sed bonitas illa erat solum à te; nulla ex parte à me: accedere autem & à me bonitatis aliquid volebas: quò, tuam illam bonitatem me agnoscere, videres. Sed Satanæ, proditori & hosti tuo, facilius & promptius, quàm tibi, obtemperavi: cum fraudes ejus spernere facilius potuissem; quàm nunc venena mihi, in potu mixta, & ab amicis prædicta.

Excidi, excidi! perfectionem
meam

20 CONTEMPLATIONES
meam neglexi ! Heu tristis & lacry-
mosa mutatio ! homo paradificola,
terræ dominus, cœli civis, domesticus
Domini Sabaoth, & cœlestium virtu-
tum cohæres, repentinâ se conversio-
ne quò præcipitavit ?

Propter infirmitatem, jacet in sta-
bulo : propter pecuinam similitudi-
nem, ferè indiget fœno : &, propter in-
domitam feritatem, propemodùm al-
ligatur præsepio.

Excidi, excidi : & non est quic-
quam, quod reducat ; nisi tu : ô Mis-
ericordissime !

CONTEMPLATIO- NUM ET SUSPIRIO- RUM HOMINIS CHRISTIANI

III.

*De hominis à Deo recessu,
Diaboli fraudibus, Dei omni-
præsentia & clementia.*

Mirabilis es, Domine ! & lauda-
bilis valdè : magna virtus tua,
& le-

& lenitatis ac bonitatis, beneficentiæ
& clementiæ non est numerus.

Confiteri tibi volo ego homo, aliqua portio creaturæ tuæ, & homo quidem circumferens mortalitatem meam, circumferens testimoniū peccati mei: & tamen laudare te volo, homo, aliqua portio creaturæ tuæ.

Non essem, quicquid sum: sine te si essem.

Tu eras in me; ut ego essem: & essem apud te; sed abii à te. Quamquam etiam sic sum in te, & apud te. Quomodo enim abirem, aut abessem à te? quomodo fugerem à facie tua? Si adscenderem in cœlum; illic esses: præcipitasti enim inde spiritum superbiæ, ac auctorem inobedientiæ. Si stratum facerem in inferno: ecce tu adesses: claves enim ejus habes, & januam ejus aperis, etiam in te non sperantibus.

Si in abyssum maris me submergerem; me ibi prehenderes: ejecisti enim immorigerum Jonam in ceti ingluviem; conclusisti eum dies & noctes:

22 CONTEMPLATIONES

Es: & non laceratum, non vulneratum, non læsum protraxisti.

Si itaq; vel adsumerem alas auroræ, & habitarem in novissimo maris: etiam illuc manus tua deduceret me, & apprehenderet me dextera tua.

Si dicerem: saltem tenebræ occultabunt me: etiam nox lucebit, propter me. Etiam tenebræ non occultant à te; & nox, ut dies, lucet: tenebræ sunt, ut lux; & lux, ut tenebræ. Non tecta, non vela, non muri, non parietes, non cellæ, non specus subterranei, aut tenebricosæ speluncæ, præsentiam tuam excludunt: intimiùs nobis præsens es, quàm nos sumus ipsi nobis. Vitam, actiones, cogitationes omnes penetras. An latere possit quisquam in latebris: ut tu non videas ipsum? an non cœlos & terram tu imples? ac Deus es è propinquo; non è longinquo? Tu totus oculus es; quia omnia vides: totus auris es; quia omnia audis: totus manus es; quia omnia operaris: totus pes es; quia ubique præsens es. Propè es; mecum
es:

es : intus es, intra me sedes; malorum bonorumque meorum observator & custos.

Abii tamen à te, Deus meus! recessi à te, deserui te.

Erubesco, cùm hæc dico; dico tamen libenter: quia statim tua se mihi ingerit misericordia. Milites, statione desertâ, capitali animadversione puniuntur; & qui in acie saltem prior fugam fecit, vitam amittit: quin & clypeum amittere, præcipuum flagitium censetur; arma abjicere, ignominiosissimum habetur. Ah! quàm turpiter de mea ego statione, injussu tuo, Imperator cœlestis & æterne! decessi!

Nondum erat ordinata cum Satana, nec instituta acies; sed levi saltem velitatione tentabar; & primo pedatu clypeum integritatis ac fidei meæ abjiciebam; arma excuti mihi sinebam: & fugiebam ab obsequio, à facie tua.

Quàm levi pugna, quàm puerili fortitudine, Satanam superare potuissem!

Sed fortem faciebat ipsum, non
ipsius

24 CONTEMPLATIONES

ipsius potentia; sed mea negligentia. Sicut homo lucri cupidus, videns orphanum habere divitias, ducit eum frequenter in domum suam, convivio excipit, donat illi aliquid; & blandis sermonibus decipit; donec potiatur facultatibus: sic Diabolus, videns me habere pretiosum thesaurum, sapientiam cœlestem in arca terrena repositam; statim offerebat mihi divitias, voluptates & honores: ut, his inescatum, bonis cœlestibus exueret. Exiit etiam, & omnibus me thesauris meis, quos servare sanctè debuissim, & haud difficulter potuissim, spoliavit. Quid verò reddidit? quas divitias? quas voluptates? quos honores? Quid reponat iste? cuius hæreditas, & divitiæ, torrens infernalis, piceum & ignivorum barathrum, tortura interminabilis & confusio sempiterna? Tu verò, Deus meus! pro defectione, mihi receptionem reddidisti: & pro defectione, gratiam reposuisti. Gratia enim & miseratio tua prior est, & major, omni delicto, omni defectu meo. Lego,
à servo

à servo tuo Rege, dictam misericordiam tuam magnam. Dixit magnam: quanta sit, dicere non potuit. Quanta sit, nescimus: quod grandis sit; novimus: quanta; non valemus apprehendere: nescimus magnitudinis quantitatem; quæ verbo non comprehenditur. Videmus fructum misericordiae grandem: nisi enim in immensum extenderetur; non fuissetus à te, post defectionem, recepti. Ah! quid est peccatum, ad Domini misericordiam? tela araneæ, quæ, vento flante, nusquam apparet.

Cogita scintillam, si in mare ceciderit: num poterit stare aut apparere? quantum scintilla ad mare se habet: tantum hominis malitia ad DEI pietatem & clementiam. Imò non tantum modò, sed longè supra. Nam & pelagus, tametsi magnum sit, mensuram recipit: Dei verò clementia mensuram non habet.

B

CON-

26 CONTEMPLATIONES
CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

IV.

*De Consilio Trinitatis, super
homine creando; & de fine
hominis creati.*

Quid est homo, quod recordatus
fuisti ejus? quid est filius homi-
nis, quod visitasti eum?

Cogitasti de me, cum nondum fui:
fui in tua mente, cum nondum fui in
mundo. Deliberationem instituis,
Deus meus! cum me es fabricaturus.
Postquam produxeras omnia, & in-
gens hoc orbis amphitheatrum con-
dideras, impleveras, exornaveras; di-
cebas: faciamus hominem ad imagi-
nem nostram.

Tu Deus Pater! qui es principium
& origo Trinitatis, cum quo consul-
tas? an cum Angelis, & sanctis illis
coelitibus? sed nec illi tecum creave-
runt

runt hominem; nec homo ad illorum imaginem creatus. An cum terra? an cum sole? cū sol & homo generare hominem dicantur. Cui tantoperè nugari libuerit?

Faciamus hominem, inquis: nos ipsi occupabimur in eo: & non Angelus, non terra, non sol, non aqua, non alia quædam res.

Qvis autem tecum? an lingvâ Magnatum loqueris? Neque hoc vero consentaneum.

Alloqueris coæternum & coësentialem Filium tuum, & Spiritum sanctum. Deus cum Deo loqueris, Deus unus; &, operante Patre, operatur Filius, & Spiritus Sanctus; operatur unus. Creas hominem, opus totius Trinitatis, in mundo victurum, toto mundo præstantius; creaturam creaturarum omnium exquisitissimam, absolutissimam, mundum parvum, mundi magni compendium & epitomen. Non mundus propriè; sed homo, digitis tuis, communionem Filii & Spiritus sancti, formatus, & spiraculo

oris tui animatus, imago & similitudo tua est.

Resplendescit cœlum, sedes tua, luminibus coruscantibus & rutilantibus; tumet terra, scabellum pedum tuorum, frugibus milleformibus, animalibus innumerabilibus: neque tamen quicquam illorum, ut homo, factum dicitur.

O Deus! imago tua sum, similitudo tua sum: voluptas igitur tua, delicium tuum, requies tua ero. Curæ tibi ero: & à te nunquam derelinquar. Qvis enim imaginem, qvis opus, ad sui similitudinem elaboratum, negliget? Quo fine hæc omnia fecisti, Deus meus? quamobrem me tam præclarè efformasti, & effigisti?

Hominem quidem primum condidisti: ut stirps esset nostri omnium; ex qua tot rami, tot fructus, tot frondes progerminarent. Voluisti unam omnium esse originem; similem ortum: ut nemo se alteri præferret, quasi patre satus sublimiore; nemo alterum sperneret, læderet: sed singuli mutuis
operis

operis suos labores sublevarent; omnes unum sentirent, vellent, cuperent, desiderarent; rixa nulla, nulla contentio, invidia, insidiæ audirentur. Concordia enim est balsamum illud fragrantissimum, quod odorem spirat tibi gratisimum.

Millia millium tibi serviunt in cœlis; nec ulla ibi invenitur discordia: millia millium tibi servire debebant in terris; nec ulla ibi itidem inveniri debebat discordia.

Nos omnes condidisti: ut essemus speculum tuæ Majestatis, tuæ gloriæ, tuæ dignitatis, tuæ potentiae, tuæ sapientiae lucidissimum.

Opus laudat artificem: effectus ostendit causam. O artifex ineffabilis! Ô causator inæstimabilis! Caveamus, speculum hoc vel frangere; vel maculare; vel fœdare; vel conturbare. Caveamus, Ô Deus! ne Diaboli larva, ex hoc speculo, reluceat: faciamus, sapientia, pietas, bonitas, mansuetudo, castitas, & quicquid in te est summum, in nobis ex parte refulgeat.

B 3

Nos

Nos omnes condidisti: ut mundi essemus colophon; decus, ornamentum.

Cavea erat mundus, affabrè fabrefacta & miraculosè: sed oscinem requirebat, cuius cantillatione omnia personarent. Videamus, ô mundani! ne mûdo simus corvus, upupa, aut graculus; sed alauda: quæ creatorem suum noctu, die, manè, vesperi laudet & celebret: ne simus dehonestamentum, pondus inutile & ignominiosum; quod cum gemitu mundus ejiciat; ejectum gaudeat, non doleat; nec redditum exoptet.

Condidisti nos omnes: ut te, ac opera tua admiraremur, & præconiareremus.

Dedisti mihi intellectum, cœlesti igne renitentem: ut te, per te, tum ex me, tum ex mundo, cognoscerem.

Dedisti mihi voluntatem; ut te cognitum diligerem super omnia: quia superas omnia, & omnia pulcra in te complecteris.

Dedisti mihi linguam: ut, cum te cognovi & dilexi, laudes tibi concinerem & ingeminarem.

Adsis

Adsis intellectus! adsis voluntas! adsis lingua! ecce! adest Deus meus: cognosce, dilige, lauda.

Lauda, anima mea! Dominum: laudabo Dominum, in vita mea; psallam Deo meo, quamdiu fuero. Laudate Dominum: quoniam bonum est, canere Deo nostro; quoniam jucunda & decora ejus laudatio.

Condidisti nos omnes: ut tecum viveremus, & gloriæ ac lætitiæ tuæ redderemur participes.

Quò quidq; melius; eò magis suam cum aliis bonitatem communicat: es autem, Deus meus! omnium optimus: largissimè igitur bonitas tua scaturit in omnes; modò velint captare, & haurire.

Da mihi, Domine! ut, qui ambulo in via, tecum habitem maneamq; in vita.

Ordinasti me ad vitam: ah! ne me finas delabi ad mortem. Mors à te nō est; sed à me: vita à me non est; sed à te.

Aufer à me, quod est à me; & da mihi, quod est à te: & laudabo te, in sanctitate tua; laudabo te, in firmamen-

32 CONTEMPLATIONES
to fortitudinis tuæ. Laudabo te, in
virtutibus tuis; laudabo te, secundum
multitudinem magnitudinis tuæ. Lau-
dabo te, in clangore buccinæ; lauda-
bo te, in psalterio & cithara. Laudabo
te, in tympano & choro; laudabo te
chordis & organo. Laudabo te, in
cymbalis benè sonantibus; laudabo
te, in cymbalis jubilationis. Omnis
spiritus laudabit te. Hallelujah. Ex-
ultabit spiritus meus, super Deo, ser-
vatore meo, in seculum.

O da seculum mihi beatum, Deus
meus beatissime!

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

V.

*De Paradiso, & hominis ex
eo ejectione.*

TRiplicem homini gratiam con-
tulisti, Creator omnipotens! gra-
tiam animæ, iustitiam originale[m]; gra-
tiam

tiam corporis, immortalitatem; & gratiam loci, habitationem jucundissimam.

Quid autem est illud, Deus meus! in quod patrem meum, & cum illo, me posuisti? Amanuensis tui verba lego: sed quid volunt ista verba? Quid est Paradisus? quid est Eden? doce me, Deus meus! hominum enim nemo, quamvis multum sibi scientiæ acquisivisse videatur, satis me docere potest. Hortum fuisse à te plantatum, colligo; eumque plagam spectasse orientalem: quatuor inaudio flumina; Gangem, Nilum, Tigrim, Euphratem: sed tamen hæreo. Disputantium enim ambages, & occupatio me valde reddit intricatum.

Sed quid laboro in investigando eo, quod non est; omisso eo, quod est?

Da mihi Paradisum cœlestem: non me sollicitabit terrestris. Hortum fuisse, intelligo, amœnissimum, gaudio, voluptate, deliciis refertum: in quo nihil requirebant oculi, nihil aures, nihil ullum corporis membrum aliud.

34 CONTEMPLATIONES

Intus hominem sapientia ac prudentia instruxeras: extus deesse ipsi quicquam, non permittebas. Omnes creaturæ novo Regi, à Regum Rege, in thronum recens introducto, adstant, famulatum deferebant, eumq; humili subiectione venerabantur. Quantum reficiebant arbores proceræ, fertiles, odoriferæ, cultæ, nitidæ, prægnantes: alnus; amygdalus; cerasus; ficus; malus Medica, Cydonia, Punica, aurea; & quæcumque campum possunt condecorare? Præ cæteris autem insignes erant, quas tuæ mihi tabulæ produnt, duæ, quæ hortum maxime nobilitabant: arbor vitæ, & arbor scientiæ boni & mali.

Cur servus tuus fidelis arborem vitæ vocat? An, quia à te vim hanc acceperat; ut, qui ex ejus fructu comederet, corpus suum stabili sanitate, & perpetua soliditate, confirmaret: ne ulla infirmitate, vel ætatis imbecillitate, in deterius, vel in occasum laberetur? innuit mihi hoc ipsum verbum tuum, Alebantur primi parentes reliquarum

quarum arborum fructibus; ne animalia corpora molestiae quid, esuriendo ac sitiendo, sentirent: de ligno autem vitae propterea gustabat; ne mors eis undecumque subreperet: vel, senectute confecti, decursis temporum spatiis, interirent: ut ita cætera essent alimento; illud Sacramento.

Quanta cura tua, Deus meus! quanta providentia tua! non dabas mihi voluptatem momentaneam, non annuam; sed perpetuam.

Nunc morbis labefactor; ærumnis affligor; doloribus crucior: sed præter tuam voluntatem; etsi non contra voluntatem tuam. Quid enim, contra voluntatem tuam, mihi contingeret? an & pilus mihi de vertice, si nolles, decideret?

Quæ jam habitatio mihi mea prima? pars matris angusta & tenebricosa: ubi lateribus alvi malè olentibus circumvallor. Gemebundus vitam ingredior: sudore eam transigo: labore eam conficio. Nec quisquam est, qui se huic conditioni exemptum gloriari possit.

36 CONTEMPLATIONES

Natus, atque in hanc lucem editus, me loco movere nequeo, primis infantiae annis omnis voluptatis expertus, & mihi & aliis gravis, & infinitis, ad eos usque annos, quibus ratio ac iudicium in me vigere incipiat, periculis expositus. Eo uno, reliqua ætate, felicior; quòd meam infelicem sortem non intelligo.

Quid dicam, Deus meus! crescunt anni, crescunt ærumnæ.

Sed nec his dignus eram.

Facere non potes, quoniam manu tua me ducas & sustentas; licet non vitam, sed infernum & exitium sim promeritus: cum os impium aperuerim, & fructum vetitum devoraverim. Aram enim mihi atque templum constitueras, arborem scientiæ boni & mali: cuius fructibus abstinendo debitum tibi obsequium exhiberem. Sapientior fieri volebam, factus insipientissimus.

Ante lapsum habui boni præsentis scientiam & experientiam; mali absentis scientiam tantum, non autem expe-

experientiam: sed post lapsum in me est boni amissi qualiscunq; scientia, non experientia; ac mali adhærentis scientia & experientia.

Væ mihi! quando eò redibo, unde sum detrusus?

Non quidem peto hortum, sed domum; non figuram, sed rem figura notatam; non peto dominari; sed famulari: non peto sedere, sed stare, & iussa tua observare; ô Deus!

Vide, Pater! adspice, & approba; & placeat in conspectu misericordiæ tuæ, invenire me gratiam ante te: ut aperiantur pulsanti mihi aulae tuæ limina. Obsecro, per Dominum meum, Filium tuum, virum dexteræ tuæ, Filium hominis; quem confirmasti tibi, mediatorem tuum & meum: per quem me quæsisisti, non quærentem te: ut quærerem Verbum tuum; per quod fecisti omnia, in quibus & me; Unicum tuum, per quem vocasti in adoptionem populum credentium, in quo & me. Per eum te obsecro, qui sedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro

38 CONTEMPLATIONES
me: in quo sunt omnes thesauri sapi-
entiae & scientiae absconditi.

Reclode instanti, & intromitte me,
Deus meus! ut intrem in gaudium tu-
um: quod in me intrare non potest;
cum longè me sit majus.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

VI.

De serpente deceptore.

Teter est Diabolus, foedus & ter-
ribilis: suam igitur faciem, quan-
tum potest, occultat, & vultum induit
alienum. Fallit tamen; quicquid me-
ditetur, quicquid suscipiat, quicquid
agat. Fallit suadendo bonum, propter
majus malum, inde oriturum: su-
adendo malum; sub specie boni: dissu-
adendo bonum; tanquam malum: dissu-
adendo malum; ut pejus inducat.

Invadit deceptor serpentem; ut
fraudem non deprehendamus laten-
tem:

tem: ut faciliùs & commodiùs, quod nefariè & insidiosissimè proposuerat, exsequeretur.

Serpens animal erat pulcrum & calidum: ad flectendum itaque, ad commovendum, ad persuadendum ac seducendum, non ineptum. O seductorem! ô versipellem! ô insidiatorem! ô deceptorem!

Transformas te, spiritus mendacissime! in angelum lucis; ne tenebri-
cosæ tuæ technæ & sutelæ animadver-
tantur. Disimulas malitiæ tuæ no-
ctem: ut bonitatem de pessimo & ne-
quissimo nobis polliceamur. Instru-
menta tua fingis & pingis, ornas & for-
mas: ut aliquod benevolentiae spatium
apud nos inveniant. Si in leonem ir-
ritatum te transformares; si in ursum
sævientem te commutare auderes:
quis non cohorresceret, caveret & fu-
geret? Speciosè igitur & blandissi-
mè incedis: ut ab incautis, sæpè eti-
am cautissimis, non observatus ad-
mittaris?

Quid sunt pravi, & in conscientia
caute-

40 CONTEMPLATIONES

cauteriati doctores, tot ceremoniis, tot cultibus, tot commentariis præfulgentes; nisi serpentes? nisi genimina viperarum, nos callidè admordentia? pellem induunt ovinam; quæ unguës tegant lupinos. Callida hominum adhibes, antiqve serpens! ingenia: quæ operibus tuis omnium sunt commodissima. Hæreses vix simplices, humiles, abjecti adinveniunt. Qui multum in scientia profecit: multum plerumqve sibi tribuit; à via plana, quàm credula Christianorum ingreditur plebecula, declinat, seorsim sapit, & abit, in errorum foveam præcipitandus.

Da mihi, Deus meus! modicùm sapere: multum in vitæ pia, ac fide saluifica, proficere.

Non quæres aliquando ex me, quid viderim; sed quid crediderim, non, quid legerim; sed quid egerim?

Da mihi corde demisso amplecti, quod in verbo mihi tuo offers & annuncias; non attendendo, quid vel superciliosa ratio, vel obtusum malè doctorum

etorum acumen, ac stulta ratiocinetur subtilitas.

Tu os veritatis es; da credam, quod dicis: Diabolus os vanitatis est; da suspectum & invisum mihi sit, quod mentitur. Da, fortiter resistam, & instem dimicando: serpens est, si semel vel leviter intromittatur; arctè se ingerit, & expelli ægrè potest: superatus autem quodammodo, se recolligit, & vires novas tentat acquirere. Planè, ut serpentis cauda amputata lambendo renascitur; & capite, aliquò intruso & immisso, reliquæ corporis partes confestim subsequuntur.

Tu, ô victor serpentis! qui non corpus aut caudam diceris conterere, sed caput; assiste mihi; ne succumbam: si tangar, si pugnem. Da & mihi, Deus meus! potestatem concutendi serpentes & scorpiones, & omnem virtutem inimici: ne mihi quicquam noceat. Da, sancta Trinitas! Deus unus! semper tui recorder, semper te mecum habeam: & evanescat omnis Satanæ impetus.

Metuit

42 CONTEMPLATIONES

Metuit serpens trifolium; & nunquam super isto recumbit: metuit Satanas nomen & memoriam tui; horret invocationem tui: nec Trinitatis adoratores, & Deitatis vicinos, adgreditur. Adsis mihi, Domine! ne desere me, Redemptor. Fugit serpens cervam; pellitur adipe, & cornu cervini suffitu: tu cerva es matutina, tu ille es suffitus, tu ille odor: quo enervatur & fugatur serpens infernalis.

Procul à me remove ingluviem & intemperantiam. Tolerare non potest serpens salivam hominis jejuni; quâ conspersus interimitur; jejunus tibi, fac, preces fundam, & mea cieam suspiria, evocem gemitus: & incolumis servabor.

Sapè, Deus meus! cogito, quæ postmodò improbo. Confiteor tamen ea tibi: quia, me etiam non continente, pervides, &, nisi fateor, punis.

*Sapè mecum ego ita: ah!
utinam ita conditus fuisssem:*

ut

ut labi & decipi non potuissem! Malè bonum cogito.

Cogito quidem ea ideò; ut mihi nunquam succensus es, nec ego te ad iram concitassem; quod bonum fuisset: sed malè tamen cogito. Cur enim me non ita fecisti? *quia noluisti:*

Cur noluisti? quia noluisti.

Non debeo plus sapere, quàm oportet: puto autem, non parvi boni esse rationalem creaturam; quæ, maiorum comparatione, cavet malum.

Non violentè impediisti, DEUS! lapsum hominis: quia noveras ex eo boni quippiam elicere: nec tamen inde efficitur; quod ipsum lapsum volueris. Quin potius voluisti bonum istud, quod ex lapsu elicere noveras: lapsum verò ipsum extremè odisti, & detestatus es.

Quid sentiam, Deus meus? Ignosce hinc inde dispicienti.

Non videris mihi ministros tuos habere pro fidelibus & frugi servis; si,
com-

44 CONTEMPLATIONES

compedibus, aut vinculis conclusi, id agant, quod jubes: sed si sponte & liberè, quod sui muneris est, strenuè faciant. Acceptum tibi minimè, quod coactum, & violentia quadam extortum, sed quod ex vera virtute proficitur: virtus autem ex proæresi oritur: non ex necessitate. Proæresis autem & electio requirunt arbitrii libertatem.

Quid verò disputo, Deus meus? sufficiat mihi: te non produxisse naturam impeccabilem: quia non placuit.

Ignosce, ignosce, Deus meus! & veniam ne denega curiositati meæ.

In consideratione creaturarum non est vana & peritura curiositas exercenda: sed gradus ad immortalia & semper manentia faciendus.

Quæ occulta esse voluisti; non sunt scrutanda: quæ autem manifesta fecisti; non sunt negligenda: ne & in illis

*illis illicitè curiosi, & in his
damnabiliter inveniamur
ingrati.*

Veritatem quæram in veritate; non
in vanitate: quæsitam inveniam ad ve-
ritatem; non ad vanitatem: nec, in
verbis vitæ, lucra mortis negotiabor.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

VII.

*De Dei providentia &
conservatione.*

Sicut nullum est, ô animula mea! ô
sensus meus! ô cogitatio mea!
momentum; quo non utar vel fruam
tua, Deus! bonitate & misericordia:
sic nullum debet esse momentum;
quo te præsentem non habeam, in
memoria.

Omne tempus, in quo de te, Deus!
non

46 CONTEMPLATIONES
non cogito; hoc me perdidisse, com-
putandum est.

Iterum igitur ad te accedo, ô splen-
dor nunquam deficiens! ô vita inde-
fessa non moriens! ô fons semper sca-
turiens! ô seminale vitæ seminarium!
ô sapientiæ principale principium! ô
initiale bonitatis initium! Non repu-
diabis me, Deus meus! nec enim al-
loquor hominem illusorem: sed Do-
minum, qui nec splendore ridet; nec vul-
tu subfannat.

Intueor, Deus meus! hanc machi-
nam, amplam latamq;: & quid loquar,
non habeo. Facta ipsa utique abs te;
& facere etiam desisti: nec tamen ab
opere tuo discesisti.

Non discesisti ab opificio abs te
condito, ut architectus; qui abit &
deinceps negligit: sed ades, manesque
omnipotens & sapientissimus.

Omnipotentia tua conservas; sapi-
entia tua regis, quæcunque semel feci-
sti, semper.

Considero visibilium naturam, si-
tum, ordinem, statum, motum, conso-
nan-

nantiam, harmoniam, venustatem, pulchritudinem, magnitudinem, usum, oblectationem, varietatem, alterationem, permansionem, in corruptibilibus: cerno providentiam tuam in qualibet parte creationis manifestam. Cerno ipsam in cœlo, & in luminaribus cœli, Sole, Luna, & aliis astris: in aëre, in nubibus, in terra, in mari, in plantis, in herbis, in seminibus, in animalibus tam rationalibus, quam irrationalibus, pedestribus, volatilibus, in natatilibus & reptilibus. Cogita, animula mea dulcissima! apud te ipsam: quis sit servator cœlestis apsidis & fornicis? quod, tot millibus annorum, cœlum non consenuerit, nullam mutationem recipiens; sed tamen passibilem habens & corruptibilem substantiam, maneat tale, quale erat, verbo creationis sustentatum?

Domine, Deus noster! non est, qui similis sit tibi! Nemo tam rudis est, tam feris moribus; quin oculos suos in cœlum tollens, tametsi nesciat, cuius providentia regatur hoc omne, quod

quod cernitur: non tamen intelligat, esse aliquam, ex ipsa rerum dispositione, constantia, temperatione, utilitate.

Etiam si animantia quædam, quantum ad sui usum, reperirentur incommoda, nullisq; apta usibus humanarum necessitatum: prodescent profectò visu, utiliora cordibus intuentium, quàm oculis utentium. Etsi nociva, & perniciofa hominum temporali constaret esse salutis: non tamen deesset, unde cooperarentur in bonum; etsi non cedendo in cibum, aut exhibendo ministerium; certè ingenium exercendo: juxta eum, qui utique omni ratione utenti præstò est, communis disciplinæ profectum: quo invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.

Utilia igitur, Deus optime! sunt omnia: & nihil fecisti inutile.

Egone igitur solus sim absque utilitate? Deterior ero creaturâ tuâ vilissimâ? Absit hoc à me longissimè!

Utilitatem, quæso te, Deus! præstem quibuscunq; petentibus; imò &
non

non petentibus : nam & tu tot mihi,
 non petenti, dedisti. Adjutor sim qui-
 busvis egentibus : &, habens intelle-
 ctum, curem omninò; ne taceam; ha-
 bens rerum affluentiam, à misericor-
 dia non torpescam; habens artem,
 qua regar, usum illius cum proximo
 partiar; habens loqvendi locum apud
 divitem, pro pauperibus intercedam.
 Necessestates aliorum, quantum pos-
 sum, sublevem; & plus interdum,
 quàm possum : alterius angustias, ut
 proprias, sentiam; & quomodo mihi
 in tribulatione si essem, subveniri cu-
 perem, ita ipse alteri, propter te, sub-
 venire non postponam.

Gratum mihi sit subsidium alteri
 præstandum; cujus solutum magis
 solventi crescit in commodum, quàm
 suscipienti crescit in augmentum: &
 dantem juvat; & accipientem, pro
 temporis necessitate, lætificat: ut sic
 in una mercatione, quod rarò solet e-
 mergere, uterq; videatur desiderata
 commoda percepisse. O dementissi-
 mus! qui retinet obolum; & perdit
 C drach-

50 CONTEMPLATIONES
drachmam; qui servat temporarium;
& amittit immortale.

Mala, quam fecisti, creatura nulla
est: etsi possit mala videri; quod be-
nè non intelligam. Vidisti, quæ con-
didisti omnia: & ecce bona erant val-
dè. Qui mala, qui deformia, & minùs
pulcra tua dicit opera: non capit, aut
assequitur; quod omnia pulcra sint
conditori, aut artificis suo: qui omnibus
utitur ad gubernationem universitatis;
cui summa lege dominatur.

Quod si in alicujus opificis officii-
nam imperitus intret; videt ibi multa
instrumenta, quorum causas ignorat:
& si multùm est insipiens; superflua
esse putat. Jam verò si in fornacem
incautus inciderit; aut ferramento a-
liquo acuto, cùm id malè tractat, se
ipsum vulneraverit: etiam pernicio-
sa & noxia ibi esse multa existimat;
quorum tamen usum quia novit arti-
fex, insipientiam ejus ridet, &, verba
inepta non curans, officinam suam
constanter exercet. Et tamen tam
stulti homines, apud artificem homi-
nem,

nem, vix audeant vituperare, quæ ignorant: sed cum ea viderint; credunt esse necessaria, & propter usus aliquos instituta: in hoc autem mundo, cujus conditor & administrator tu es, Deus meus! audent multa reprehendere, quorum causas non vident; atque, in instrumentis omnipotentis artificis, volunt se videri scire, quod nesciunt. O temeritatem hominis momentanei! Tu, Deus meus! qui in te ipso es alpha & omega; sicut, in Angelis, sapor & decor; in Ecclesia, sicut paterfamilias, in domo; in animo, sicut sponsus in thalamo, in reprobis, sicut pavor & horror; in iustis, sicut adiutor & protector; in mundo, sicut auctor & rector: quid tibi retribuam, pro tot utilibus, pro tot pulchris, inutilis ego, & deformis? In te vivo, in te vigeo, in te moveor, in te consisto. Tu autem, Domine! qui semper vivis: in te ipso quiescis, in te omnia habes per te, possides, invenis, nulla re indiges, ni-

§2 CONTEMPLATIONES

hil extrà te qværis; tibi ad omnia sufficis, & ipse es omnia.

Ante primordia seculorum es, & ante omne, qvòd vel antè dici potest, tu es; & Deus es Dominusq; omnium, qvæ creasti: & apud te rerum omnium instabilium stant causæ; & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines; & omnium irrationabilium & temporalium sempiternæ vivunt rationes.

Dic mihi supplici tuo, Deus! & misericors misero tuo; dic mihi, qvòd possim referre.

An excogitare spatium tam exiguum, tam minutum qveo: qvò, si manum tuam abstrahas, & me, qvi sum nihil, mihi nihilo relinqvas; aliquid esse possim.

Non manum, non pedem, non digitum movere possim: nisi tu motum mihi permittas. Revoca nutum tuum: & in nutu oculi compages mundi dissolvetur.

Cùm itaqve horis singulis, punctisque horarum omnibus, tuis bonis vivam,

vam, ac server: utinam horis singulis, punctisque horarum omnibus, ad te ascendam, tecum loquar, te orem, te glorificem: tibi vitam, motum, spiritum, sensum, vires, consecrem! Tu mihi, Deus meus! es omnia: sum tibi in te ego omnia. In Deo, vivam Deo: in Deo, me Deo moveam: in Deo, quæcunq; facio, faciam Deo!

Tua, Deus meus! ordinatione, mihi serviunt omnia; tibi vicissim mea omnia spontaneum serviant servitium. Et quia totam meis usibus, utilitatibus, & delectationibus etiam, temperasti naturam: quæ fronte, quo ore, quo corde, de tua, pro me, cura ac providentia dubitabo? Si dubites, animula mea! de ipso Deo dubitas: & ignoras tam creatorem, quam creaturam.

Exue, animula mea! trepidationem: habes circum te, & in te, servatorem tuum: cujus beneficentissimum peccatus testantur cælum & terra.

34 CONTEMPLATIONES
CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

VIII.

*De Adami, primi hominis,
vestitu.*

TRansgressus est, eheu, Deus
meus! creatus abs te Adamus
mandatum: prævaricatus est; reces-
sit; inutilis factus est. Videre voluit,
quæ tu videre eum nolebas. Sed quid,
ah! Deus meus! vidit? Vidit nudita-
tem suam. Prima quidem nuditas ni-
hil fuit aliud, quàm summæ felicitatis,
& maximarum divitiarum indicina:
visa autem ab homine peccatore nu-
ditas mera fuit ruina, æternæ infelici-
tatis & egestatis significatio.

Nudum se corpore videbat Proto-
plastus: nudior erat anima, scientiâ,
sapientiâ, integritate, innocentia con-
creatâ spoliata & exuta.

Pudore suffusus nuditatem tegebat;
sed

sed tegumento misero: consuit enim
folia ficus: & fecit sibi perizomata:
quibus ipse, cum uxore seductrice, in-
volveretur. O cinctoria fragilia! ô
velamenta lamentabilia! Quid omnia
hominum vestimenta, tam sumtuo-
sa, tam splendida; nisi ficuum folia?
quæ facile in nihilum abeunt. Aspera
sunt fici folia, & pungunt iis sese con-
tegentes: utinam, quotiescunque
vestes nostras induimus, asperitate
ac punctura poenitentiae sollicitare-
mur! Indigentiae enim sunt admini-
cula, pudoris indicia, miseriae argu-
menta, infirmitatis extremæ solatia.
Quid, homo peccator! lapsus & im-
pietatis ostensione superbis? quid, fur!
restim ostentas? quid vellus alienû ma-
gnificè jactas? quid sub eo gestas, nisi
saccum stercore repletum, folliculum
animæ infirmisimû? Tua tibi pellis nō
sufficit; nec, nisi impudicissimus, eam
cuiquam ostendis: sed requiris alienam,
qua tuæ subvenias. Vestes meas intue-
or; malorum intueor barathrum: co-
gito tamen etiam, ô Deus meus! curæ,

providentiæ, misericordiæ tuæ abyssum. Nudo enim mihi & egentissimo, antequam nuditatem & egestatem meam intelligo, succurris: & omnia ad me animalia jubes accurrere: ut nudū velent, egentem impleant. Quin & ipse, Deus misericordissime! transgressores vestivisti, vestitu, si memini, pelliceo, agni vellere: non leonis, non ursi, non vulpis, non lupi exuviis: ut feritatem, rapacitatem, dolos & diritatem te detestari, & candidam amare simplicitatem, doceres. Vestem confecisti ex mortuarum pecudum tergoribus: ut ex vita, per lapsum, nos in mortem esse delapsos, ex immortalibus factos esse mortales, terram esse, & in terram reversuros, indicares.

Pellem desumfisti ab agno occiso: ut lapsum nostrum solo sanari agno posse occidendo, testificareris.

O aurei seculi indusium! O agne incontaminate! credentibus ab origine mundi vise mactari. O promisse! ô definite ab æterno Messia! qui semen factus es mulieris, & caput serpentis
con-

contrivisti; indue me merito tuo: & meritum meum nihil mihi nocebit. Indue me iustitia tua: & iniustitia mea me non damnabit. Indue me sanctitate tua: & iniquitas mea me non accusabit. Indue me fide in te: & stolam aliquando beatitatis ero accepturus.

Nihil tegere potest peccatricis nuditatis seditatem; nihil, in Dei iudicio, me potest abscondere: nisi tua, agne cœlestis! tunica; nisi vulnerum tuorum foramina; nisi hiantes corporis cicatrices. Te fide firma induam: & cum Ecclesia, olim in conspectu tuo, triumphabo.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

IX.

*De diluvii arca, Noacho,
corvo, columba.*

Longanimis, Deus meus! es val-
dè; & ira tua spatium relinquit

C s

pec-

58 CONTEMPLATIONES
peccatoribus satis magnum : nec de
improviso contemtores verbi tui ex-
terminas.

Multa erat hominum malitia ; &
cuncta cogitatio cordis intenta erat
ad malum, omni tempore : non cura-
bant verbum tuum ; nec spiritui tuo,
eos ducturo, obtemperabant.

Creationis itaque te pœnitebat :
& hospitium mundanum, cum omni-
bus suis hospitibus, disperdere con-
stituebas.

Non tamen iustitia tua, ad facien-
dum iudicium, properabat nimium ;
sed misericordia centum & viginti an-
nos interponebat : ut cognosceres ; an
crebris concionibus quis posset com-
moveri, pœnitentiam acturus. Ah !
Deus meus ! pedibus incedis duobus :
altero misericordiæ ; altero iustitiæ :
priorem tamen gressum semper facit
misericordia ; posteriorem iustitia :
nec delectaris morte, seu interitu pec-
catoris : sed vis, jubesque ; ut conver-
tatur, & vivat.

Sed omnis erat expectatio tua fru-
stranea ;

stranea; misericordiaque ludibriis excipiebatur: exarsit igitur iustitiæ ira: & aquæ diluvii inundaverunt super terram: rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ; cataractæ coeli sunt apertæ: & facta est pluvia, super terram, diebus multis; periitq; creatura tua ferè univèrsa. Inter homines quidem nemo, nisi Noah tuus cum suis, in arca servabatur.

Non deseris, Deus meus! Deus optime & benignissime! cultores & adoratores tuos: sed in aqua, in igne, in omni calamitatum ingruentium turbine, servas. Nullum spernis, neminem abjicis, neminem perhorrescis; nisi fortè qui amens te exhorruerit.

Deus meus! cornu salutis meæ! & susceptor mei! pater misericordiarum! Deus totius consolationis! fortitudo mea! Domine! firmamentum meum! refugium meum! liberator meus! an gladium iustitiæ stringere potes; ut mucronem oleo misericordiae non perungas? Occulitur ergo, qui te colit, in navigio admirando:

60 CONTEMPLATIONES
extra quod non erat vita; sed mors præ-
sentanea.

*Navigium istud quid di-
cam representasse; nisi Ec-
clesiam? quæ variis perse-
cutionum procellis, & ad-
versitatum fluctibus, hinc
inde circumvolvitur, loco
non alligata uni. Vera ta-
men & æterna in ea salus;
quæ extra Ecclesiam offertur
nulli. Noah nauclerus istius: tu,
Deus à Deo! gubernator hujus;
Noah & consolator verus & coelestis,
qui mergi eam non sinis. Aquæ dilu-
vii palatia regum obruerunt; sed ar-
cam Noæ magis magisque extulerunt:
sic persecutiones terrena regna de-
struunt; tuum verò tibi regnum sub-
verti non pateris: sed tempestatibus,
& tentationibus, subinde amplificas,
& exauges.*

Noah

Noah ex arca emittebat corvum,
& columbam. Ille prædas insectaba-
tur, & ad arcam Noah nunquam redi-
bat: hæc & redibat, & manu naucleri
recipiebatur.

O Christe! absit corvina à me ra-
pacitas; absit voluptatum amabilitas:
satis enim rarum est, ut quisquam, inter
seculi voluptates positus, à vitiis ma-
neat illibatus; quibus etsi non citò im-
plicetur, aliquando tamen attrahitur.

*Nec enim diu potest esse se-
curus, qui periculo fuerit pro-
ximus.*

Militandum mihi esse cogitem: &
quidem genere militiæ, quo nunquam
otium datur.

Debellendas statuam voluptates:
quæ sæva quoque ingenia rapuerunt.

Columba, nullâ requiescendi fede
reperit, ad arcam est reversa; & in eam
admissa: ô Christe! requies mea! ani-
ma mea, diluvio peccati conflictata,
nullum in mundo reperit refugium,

62 CONTEMPLATIONES

nullum solatium, nullum adjuvmentum;
 sis tu solus mihi receptaculum, & pa-
 cis asylum!

*Columba nidificat in fo-
 ramini- bus petrae, & in ca-
 verna maceria: anima mea
 in vulnerum tuorum forami-
 nibus requiescet; & recrea-
 bitur in perpetuum.*

Nihil tam amicum gemitibus, ut
 columba; die noctuque gemit: ah!
 Christe! aliam vocem non emittam;
 quàm gemitum & flebilem: ne
 cum corvis aliquando partem habe-
 am; sed tu mihi, Christe, dicas; ecce,
 tu pulcra es, amica mea! oculi tui co-
 lumbarum: surge, amica mea! spe-
 ciosa mea! & veni: surge, propera,
 amica mea! columba mea! formo-
 sa mea! & veni. Ah! quando
 veniam, Christe?

CON-

CHRISTIANI. 63
CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

X.

De Scala Jacobæa.

EXcita te nunc, anima mea! & eri-
ge totum intellectum tuum; &
cogita, quantum potes: quantum, &
quale sit illud, quod apponitur.

Ingrederere Bethel: intra domum Dei,
in quo Dominus est, & porta cœli.

Ubi melius potes requiescere; quam
ubi requiescit Deus tuus?

Cor humanum, in æterno illo non
fixum, nunquam stabile potest esse:
sed omni volubilitate volubilius, de
alio in aliud transit, quærens requiem,
ubi non est. In his enim transitoriis
& caducis, si ejus affectus captivi te-
nentur, veram requiem invenire non
potest: quoniam tantæ est dignitatis,
ut nihil ei, præter summum, sufficere
possit.

Ingre-

64 CONTEMPLATIONES

Ingrederere ergò, anima mea! Bethel; intra domum Dei: cohabita summo, sociare Domino tuo! Ascende, anima mea! ascende! scala est apposita; per quam ad altissimum licet pervenire. Quæ scala ista, Deus meus! quam sanctus tuus Israël conspiciebat in somnis, stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoq; Dei ascendentes, & descendentes per eam? Nonne servus ille tuus justus? quia via, veritas & vita est: & per quem solum ad te venit. Stetit ille super terram: quia humanam nostram naturam, in unitatem personæ, assumpsit: & virga Jesæa ex virgine terrestri effloruit:

Tu, Deus meus! volens rerum creaturarum omnium olim regem, hominem, à peccato sanare; fecisti solem, filium tuum benedictum, ab excellentia Deitatis quodammodo retrocedere, &, per summam humiliatorem, præteritis novem gradibus, novem Angelorum ordinibus, ad decimum gradum, humanam naturam

turam, per incarnationem, descendere.

Natus est è nobis; versatus est inter nos; dominatur etiamnum in medio nostri: nobiscum est; nec, quos semel amare constituit, deserit.

O scala beatissima! adsta & super cor meum: & fac animam meam ad te transilire, & manere.

Descendisti tu propter me: ascendam ego ad te.

Quemadmodum te consortem fecisti infirmitatis: ita me consortem fac quietis, & voluptatis: quam nulla sollicitudo impedire, vel diminuerè potest.

Cacumen scalæ cœlum tetigit: tu, Messia! cœlum non tangis tantum, inde ad nos profectus, ab æterno in eo lætatus: sed condidisti etiam, nec initium, nec finem habens dierum; quippe heri, hodie, & in secula, primus & novissimus, qui in principio jam fuisti, & gloriam habuisti apud Patrem, antequam mundus formaretur, Deus magnus, Deus vertus, Deus bene-

66 CONTEMPLATIONES

benedictus. Erat autem scala una, quæ à terris ad cœlos pertingebat: ita & tu, Christe dulcissime! Dominus es de cœlo, & homo de terra: & tamen, unione Divinæ & humanæ naturæ, persona una, homo unus, Deus unus, mediator unus, inter Deum iratum & hominem damnatum,

Per scalam ascendunt, & descendunt Angeli; quia in mysterium unionis tam sanctæ, tam admirandæ, Angeli prospicere desiderant: qui tamen docentem semper vident, ac audiunt Spiritum sanctum. Ascendunt tamen, & descendunt Angeli etiam alii, doctores, & quivis credentes; qui nihil prædicare debent aliud, quàm Christum: quia per nullum alium, ad vitam, datur accessus, aut ad Patrem coelestem patet aditus familiaris, & quotidianus. Angelos, anima mea charissima! imitare puritate, castitate, sanctitate, puros, castos, sanctos; nisi humi velis jacere prostrata, & cœno peccatorum onerata, ad tenebras detrudi.

Ah!

Ah! Domine! ne non me possum
elevare, sis custos meus, quocumque per-
gam; & reduc me, ab exilio in terram
promissam: nec dimitte, nec desere
me; donec in patriam fuero regressus.
Interea sim Jacobus, subplantator:
&, per fidem, peccatum concul-
cem, praevaleam, & benedictionem
assequar.

In lapidem vivum angularem re-
cumbam; nec dimovear, aut confun-
dar: sim & ipse lapis spiritualis, angu-
lari lapidi superstructus: ut sim sancta
habitatio, & sacrarium Divinitatis. Ah!
Jesu! mea redemptio, amor & deside-
rium! adesto mihi: te invoco, ad te,
clamo clamore magno; quem nemo,
nisi tu, audit in toto corde meo.

Te invoco in animam meam: intra
in eam, & coapta eam tibi: ut possi-
deas eam sine ruga & sine macula.
Mundissimo namque Domino, munda
debetur habitatio.

Sanctifica ergo me vas tuum,
quod fecisti: malitia evacua, imple
gratia, & plenum conserva; ita ut di-
gnum

68 CONTEMPLATIONES
gnum habitationis tuæ efficiar tem-
plum, hîc, & in perpetuum: dulcissi-
me, benignissime, amantissime, cha-
risime, potentissime, desideratissime,
pretiosissime, amabilissime, pulcerri-
me! tu melle dulcior, lacte & nive can-
didior, Nectare suavior, gemmis & au-
ro pretiosior, cunctisq; terrarum di-
vitiis & honoribus mihi charior!

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XI.

*De Benignissima Dei cura,
pro populo suo; ex cura, pro po-
pulo Israëlitico, in deserto,
colligenda.*

SÆpe animus labascit, & grandi re-
plentur solitudine præcordia:
cùm sentio, quid sim? nempe imbe-
cillitatis exemplum, temporis spolium,
fortunæ ludibrium, mutationis imago,
invidiæ & calamitatis trutina: cætera
pitui-

pituita & bilis. Ah! quis non videt; quàm multa passim circa terram versentur? quàm multis luctibus suspiriisque terram impleant; quæ omnia, tanquam fato quodam, vitam humanam comitantur?

Deplorat morbos suos, quibus possidetur, hoc corpusculum: deplorat incertam valetudinis conditionem, & ambiguitatem vitæ. Quæ namque ætas, aut tempus est, quo non à malo oppugnatur aliquo? Nonne simulacrum natum est, humidisque matris è locis recens evulsum; luto sordibusque diffuit, vagitu omnia complet ac lacrymis? Postea si ad ætatis florem adolescat: fervore quodam & intemperie agitur. Si perveniat ad pubertatem: præ ardore animi & vehementia, nullis consiliis in officio contineri potest, nullis monitis. Si ad senectutem: paulatim moritur & deflorescit.

Quin ne hæc quidem sufficiunt omnia. Quam enim artem hæctenus invenire potuerunt homines, qua aut pestem avertere, aut cælo cadentem vim

vim pluviae cohibere, aut terrae motum sistere, aut ignem, è terra surgentem, possent extinguere? Video malorum seriem, successionemque mutuam: video continuationem periculorum. Quod si ad animam veniam: video & hinc morborum agmen, quibus ea obsidetur. Si mororem absterfero; metus succedit: si metus recesserit; ira excitatur: si ira desierit; invidia accedit: ad manum est calamitas; in vicinia mala sunt: nec ulla unquam certa quies contingit. *Heu! heu! nos miseros! quam totus homuncio nil est?*

Concido planè, si hæc rumino: & effundo, sicut aquam, cor meum. Non sum contentus paucis lacrymarum guttulis: sed tantam copiam evoco; quantam torrens violentus & rapidus solet devolvere.

Nullibi invenio lenimentum, nunquam pacem, nusquam solatium; nisi cum ad te, Deus meus! Deus paterne! advolvor. Tu enim, sine intermissione,

ne, diebus & noctibus, bonitatem effundis. Quomodo calidi proprium est calefacere; & frigidi proprium est frigefacere: ita etiam proprium est tuum, Deus optime! benefacere. Miser quidem ego & afflictus satis: tua tamen bonitas, tua beneficentia, tua cura omnem vincit meam miseriam, omnem superat afflictionem, & omninò annihilat.

Si rectè calculum pono; nemo hominum est, quin sæpiùs viderit serenitatem, quàm tempestatem: quin sæpè, super spes suas, tu munera tua extenderis; quin sæpè dona tua etiam vota ejus vicerint. Spontaneæ sunt tuæ benignitates: ultrò abs te fluunt inexpectata benevolentiae monumenta.

Numquid enim, Rex poli! libamine aliquo, ex ambiris, aut hostia: ut omnia ista, quibus vivitur, commoda mortalium generi largiaris? Nonne fervorem genitalem solis, refrigerium noctis, tempora, ventos, pluvias, cunctis subministras æqualiter? bonis, malis,

malis, iustis, ingenuis, servis, pauperibus, divitibus.

Anne proprium tuum est, Deus potens ac vere! inexorata beneficia præbere fessis atque invalidus rebus, & multiformi semper asperitate valatis.

Maximè autem reficior, & mira lætitia exulto: cùm bonis te viris perpetuò planeq; opitulatorem cognosco, semper pro meliore stantem causa.

Israëlis progeniem, etsi sæpè murmurantem & execrantem, quisquis tuorum contemplatur; lapis sit, qui non, quantis quantis circumcingatur periculis, exhilaretur & triumphet. Premitur quidem iste, angitur, exagitatur, & propemodum opprimitur: Sed opportunè venis auxiliaturus, Deus meus! & gementes liberaturus. O curam Dei, pro populo suo, admirandam! ô protectionem plusquam paternam!

Vix sum apud me, cùm grandia illa patrocinantis Dei facta adspicio.

Moses, in deserto positus, gregem pascit,

pascit, rubum ardere conspicit, te ex
rubo audit, præcepta accipit, potesta-
te exaltatur, ad Pharaonem mittitur:
venit, loquitur: contemnitur; vincit.
Ægyptus percutitur, Pharaonis ino-
bedientia verberatur; & quidem non
uno modo: scilicet ut plus sacrilegus
torqueatur diversitate supplicii. Et
quid? postremò decies rebellat: de-
cies verberatur.

Quid ergo dico? Puto, quòd in his
omnibus statum tuorum cognoveris,
judicaveris: illorum curam gesferis,
eosque benignissimè custodiveris.
Quotiescunq; rebellantes Ægyptios
percusisti: toties tuos respexisti, &
custodivisti; hostesq; judicasti. Sed
post ista, quæ dixi, quid secutum est?
Israël dimittitur, Pascha celebrat, Æ-
gyptios spoliat, dives abscedit. Pha-
raonem dimissionis poenitet, exerci-
tum contrahit, ad fugientes pervenit:
castris jungitur, tenebris separatur,
siccatur pelagus, Israël graditur, offi-
ciosâ undarum patientiâ liberatur:
D Pha-

Pharao sequitur, mare super eum vol-
vitur: fluctu operiente deletur.

Post hunc rerum gestarum ordi-
nem, ingreditur eremum victrix, sine
bello, gens Ebraeorum: agit iter sine
itinere, viatrix sine via, prævio Deo,
Divino commilitio honorabilis, du-
ctu cœlesti potens, sequens mobilem
columnam, nubilam die, igneam no-
cte, congruas colorum diversitates,
pro temporum diversitate, fumentem:
scilicet, ut & diei lucem, luteâ obscuri-
tate, distingveret; & caliginem noctis,
flammeo splendore claritatis, irradia-
ret. Addis, Deus, ô mirabilis, beni-
gne & misericors! fontes repente na-
tos; addis medicatas aquas: vel datas,
vel immutatas; speciem servantes, na-
turam relinquentes. Addis aperta,
erumpentibus rivis, montium capita;
addis scaturientia novis arva torrenti-
bus; addis illatos itinerantium castris
alium greges.

Deus! pietate indulgentissimâ, non
usibus tantum hominum, sed etiam il-
lecebris, servis! Deus meus! usque ad
deli-

delicias, populum tuum amas, ac foves!
Suggeris per quadraginta annos, astris
quotidiè famulantibus, cibum: roran-
tes jugiter escis dulcibus poli, non ad
victum tantum, sed etiam ad delicias,
fluunt. Servas homines, in membro-
rum suorum partibus, accessus & de-
cessus nescientes; ungues non auctos;
dentes non imminutos; capillos sem-
per æquales; non attritos pedes; non
scissas vestes; calceamenta non rupta.
Redundat tuorum honor, usq; ad in-
duviarum vilium dignitatem!

Invenio huc, erudiendæ gentis tuæ
officio, descendentem ad terras De-
um; accommodantem se terrenis usi-
bus Dei filium; innumeræ multitudi-
nis plebem, in consortium Divinæ fa-
miliaritatis, admisam; sacræ amicitiae
honore pollentem. Audio loquen-
tem cominùs Dominum, legem Di-
vino ore resonantem: perlustro inci-
sas digito Dei litteras, discentem po-
pulum, & docentem Deum; ac, mix-
tis penè hominibus atqve angelis, u-
nam cœli ac terræ scholam. Sic enim

scriptum est: quòd, cùm retulisset Mo-
ses verba populi ad Dominum, dixit
ei Dominus: *Fam nunc veni-
am ad te, in caligine nubis:
ut audiat populus loquentem
ad te.* Et paulò pòst: ecce cœ-
perunt audire tonitrua, ac
micare fulgura, & nubes
densissima operire montem.
Et iterum; descendit q̄ super
montem Sina, in ipso montis
vertice. Ac deinceps: loque-
batur cum Mose, videntibus
universis; quòd columna
nubis staret ad ostium taber-
naculi: stabant q̄, & ipsi, &
adorabant, per fores taber-
naculorum suorum.

Loquebaris, Domine: ad Mosen
facie

facie ad faciem: sicut loqui solet homo, ad amicum suum.

Ah! quantam hominis tui curam habes, Deus! hæc tanta attribuens, hæc tanta præstans! participem sermonis tui vilem homunculum faciens, & quasi ad consortium sacræ sodalitatis admittens; aperiens ei plenas divitiis immortalibus palmas tuas; alens eum Nectaris poculo, pascens cælesti cibo!

Quam, rogo! maiorem ei gubernaculi tui præstare curam, quem maiorem præstare potuisti affectum? quàm ut, cum præsentis seculi vitam ageret, speciem jam futuræ beatitudinis possideret.

Nec musitet hîc aliquis: habuisse quondam hanc te hominum curam; cæterùm nunc penitus non habere.

Unde hoc credam? forsitan, quia, ut illi tunc, Manna quotidiè non comedimus; cum agros triticeis plenos messibus demetamus: quia coturnices humanis se manibus ingerentes non apprehendimus; cum omnia

D 3 avium,

avium, pecudum, bestiarum genera devoremus: quòd salientes rupibus aquas apertis oribus non excipimus; cùm vinarias domus vinearum fructibus irrigemus.

Addo amplius aliquid: quòd nos ipsi, qui illos tunc Deo curæ fuisse, & nos fortè à Deo negligi autumamus; si accipere, pro præsensibus bonis, prætèrita possemus: respiceremus penitus conditionis istius optionem. Nollemus enim hæc, quæ nunc habemus, amittere; ut possemus ea, quibus tunc illi usi sunt, possidere: non, quòd nos nunc meliora habeamus, quàm gens illa tunc habuit: sed quia & illi, qui quotidiano tunc cœli ac Dei ministerio pascebantur, antiquam ventris ingluviem bonis præsensibus præferebant; turpissima scilicet ciborum carnalium recordatione mœsti, & foetidissimo ceparum atque alliorum amore, ægrescentes: non quòd potiora essent, quibus antea usi erant: sed quia, quod nunc à nobis fit, hoc tunc ab illis. Illi horrebant, quæ erant:
& quæ

&, quæ non erant, desiderabant.

Nos magis laudamus illa,
quæ tunc fuerunt; quàm i-
sta, quæ nunc sunt: non quia,
si eligendi facultas esset,
semper habere illa malleamus;
sed quia usitatum hoc huma-
næ mentis est vitium: cùm
intueatur illa magis semper
velle, quæ desunt; & aliena
nobis, nostra plus aliis, place-
ant. Ita fastidiosi sumus nos
miserrimi; nec vitâ, nedum
vitâ & vitæ bonis, digni!

Quicquid autem vel des, vel neges;
semper pater es; & confidentem tibi,
ac sperantem in te filiolum nunquam
deseris.

Des, si velis, non nisi quinque pa-
nes, & duos pisciculos; manipulum

farinæ, modicum olei in urceolo, paucula arborum putamina & farmenta; nihil amplius: jactabo curam meam in te, Deus meus! in te, Pater coelestis! qui suscipies me; nec inquietudinem mihi dabis in æternum.

Dices animæ meæ: *salus tua ego sum. Inquirentes te non minuentur omni bono: non cōfundentur in tempore malo; in diebus famis saturabuntur. Etiam si cecidero; non tamen collidar: quia tu suppones manum tuam. Nunquam vidi justum derelictum; nec semen ejus quaerens panem.* Exquiram te, Domine! & exaudies me; & ex omnibus tribulationibus meis eripies me. Clamabo pauper, & attendes mihi: & de omnibus sollicitudinibus salvabis me.

Non

Non erit timentibus te vera inopia. Tu imperabis, ne farina, in vasculo, deficiat; ne oleum, in urceolo, decreseat: quia his omnibus opus habeo. *Quæram primum regnum Dei, & justitiam ejus: & cætera mihi adjicientur.*

Tantum abest, Deus & Domine! ut derelinquas tuos: ut vel canes, ad sublevandos & leniendos eos, ableges.

Expectabo te, Domine! viriliter agam: sustinebo te, Domine! & confortabitur cor meum.

Derelinquant me pater meus, & mater mea: tu, Domine! assumes me. Adjutor meus eris; neque despicies me, Deus salutis meæ! In petra exaltabis me; abscondes me in tabernaculo tuo, in tempore afflictionum: proteges me in abscondito tabernaculi tui: ut videam bona tua, in terra viventium.

82 CONTEMPLATIONES
CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XII.

*De Tabernaculo Israëlita-
rum; nube, in qua Dei peculiaris
præsentia; propitiatorio; arca;
Manna; virga Aa-
ronis.*

PRorepo ad tabernaculum tuum,
Deus meus! &, quomodo popu-
lo tuo appareas, revolve: terribilia
multa invenio: sed tamen & consola-
bilia. Involviste in nubem; nihilo ta-
men minus tua promicat majestas,
eâque tanta: ut velut ignis consumens
terreas, ac timearis.

Et quæ credam, nubeposse contine-
ri mentem, ab omni mortali concre-
tione secretam, optimam, sapientissi-
mam, sanctissimam; spiritum per o-
mnia comitantem, & singulis univer-
si partibus, quasi accuratissimæ lyræ
fidi-

fidibus, intentum: qui fluentium rerum canticum, jucundissimâ varietate, temperat ingenitus, immortalis, perpetuus, solus ipse sibi locus & mundus, & maximus quidem mundus, sapientiæ, sanctitatis, intelligentiæ, vitæ rationum, formarum: cui spirans omnis, intelligensq; natura, & habere, & agere non desinit gratias.

Nube tamen te vestis: ut adhuc, secundum fidei tempus, non quomodo Deus es, sed quomodo homines tolerare possunt, te exhibeas; per corporalia spiritualia doceas, & invisibilia per visibilia demonstres.

Sol es, Deus meus! oculis autem ego laborans, in clarissimum hoc lumen intueri non possum: nisi per interpositam nubem. Si altius velim oculorum aciem emittere; facile possum excæcari: si sublimius evolare; periculose aduri.

In memoria semper sit mihi, quod quidam Sanctorum tuorum ad animum sibi revocarit sedulo: homo sum, non intelligo secreta Dei: investigare

non audeo ; & ideò etiam attentare formido : quia & hoc ipsum genus quasi sacrilegæ temeritatis est ; si plus scire cupiam, quàm sinar.

Video in tabernaculo arcam fœderis ! video, præter arcam, propitiatorium : video in arca Mannam, & *rupices illas paginas, & saxæum volumen*, quod continebat legem, inter tonitrua, inter fulgura, inter terribiles buccinarum celestium sonos, inter tremendum undiq; totius aëris fragorem, inter polos sacris clangoribus mugientes, inter ignes, caligines, nebulas DEO plenas, promulgatam.

Quanta latent, Deus meus ! hîc mysteria : quæ utinam plenè intelligam !

Christum meum, videor, in his omnibus videre. Ille enim verum est propitiatorium : qui solus, unico sacrificio passionis suæ, totius mundi peccata expiavit, & te, Deus ! nobis propitium effecit. Illum significavit illud aureum operculum : in quo tu te habi-

habitaturum, & invocantes exauditurum, promifisti. In illo enim dilecto, & nos dilexisti, nobisq; es propitius. Ille regit Ecclesiam; sicut illa aurea tabella arcam; & abscondit à facie superhabitantis Dei, Decalogum infrà positum: ne, secundùm eum, intret in iudicium nobiscum, nostrasq; iniquitates observet.

Tu ipse, Deus meus! proposuisti mihi illum; ut esset meum propitiatorium, in suo sanguine: fecisti eum propitiationem, & pro meis, & pro totius mundi peccatis.

O Christe! propitiator meus! O asylum meum! O spes mea! redime me, reconcilia me: ne amittam te: ne patris æterni iram portare cogar æternùm!

Ille vera est arca. Ut enim arca ex auro constabat purissimo, & ligno nitidissimo: ita Redemptor meus, Deus & homo, & summam habet Deitatem, & intemeratam humanitatem.

Tabulæ erant arcæ inditæ: quia Redemptor meus legis habet perfectam

86 CONTEMPLATIONES

impletionem: cuius beneficio, fide prehenso, nostra nobis nil nocet inobedientia. Mannâ quid dulcius? quid salubrius? quàm Christus, panis cœlestis; quem quisquis credens manducaverit: famem non sentiet in perpetuum; sed in seculum beatitudine inenarrabili nutrietur.

Virgam etiam deprehendo Aaronicam; modò aridam, modò floridam: virga Jesæa, arbor vitæ, Christus, Redemptor meus, in cruce exarscens, moritur; at mox redit redivivus, floretq; sine fine.

O divitias intellectus & sapientiæ! quas codex tuus, Deus meus! te audientibus & amantibus suppeditat!

O Christe! sis propitiatorium meum: si accusabit me tentator infernalis! sis arca mea; in qua, sæviante peccatorum tyrannide, recondar! sis virga mea; quâ, mortis vallem ingressurus, me sustentem! sis manna mea; quâ post mortem, in regno tuo, me, sine intermissione, refocillem!

CON-

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XIII.

De Christi Conceptione.

O Humilitatem tuam, Christe,
Salvator meus! Ô desiderium
salvandi me! Nulla in ore meo veritas;
sepulcrum patens guttur meum; lin-
gva meâ dolosè egi; & ne spiritus qui-
dem meus purus est: & tu tamen, os
veritatis, guttur dulcedinis, lingua vir-
tutis, Salvator purissimus, & ab omni
peccatorum contagio alienus, osculo
oris tui me oscularis.

Felix osculum, ac stupendâ digna-
tione mirabile! in quo non os ori im-
primitur; sed Deus homini unitur.

Cum quo enim alio incarnationem
tuam comparabo; nisi cum osculo?

Osculum est signum pacis & recon-
ciliationis: incarnatione tuâ, mundo
pax & reconciliatio est restituta.

Ah!

Ah! quàm lætus dies! cùm, pedibus
tuis affusus, ex illo ore læso, objurga-
tionem meritus, osculum excipio!

Clamat sponsa tua, Ecclesia: oscule-
tur me osculo oris sui! vociferatur a-
more intolerabili inardescens.

Ex DEI promissis & beneficiis,
desiderio succensa, petit mitti Mes-
siam: ut eum audiat in carne loquen-
tem, ipsum videat docentem. Poscit;
ut descendat, & carni jungatur.
Confidera, ô animula! Ecclesiam:
quomodo, jam diu promisso sibi per
Prophetas Dominico adventu, per
multa tempora suspensa, se eleuet à
corpore, abdicatâ luxurie atque deli-
ciis voluptatibusq; carnalibus, exutâ
quoq; solitudine secularium vanita-
tum, infusionem sibi Divinæ præsen-
tiæ, & gratiam Verbi salutaris exoptet!
quomodo commaceretur; quomodo
affligatur: quòd serò veniat. Quasi
vulnerata caritate, cùm moras ejus fer-
re non posset, conversa ad Patrem, ro-
gat: ut mittat sibi Deum Verbum.

Nolo, inquit, per Moysen, nolo, per
Pro-

Prophetas loquatur: Ipse meum corpus assumat: ipse me osculetur in carne.

Seqvere, animula! quæ pars es Ecclesiæ beatioris, Ecclesiam istam gemebundam: & nihil magis cogita, dilige, fove, vove & expecta; quàm Mesiam tuum!

Vide, quæso, & contemplare familiare amicumq; colloqvium animarum istarum, in carne suspirantium, cum coelestibus potestatibus.

Gestiunt in oscula: petunt, quod cupiunt; non tamen nominant, quem ament; quia illas nōsse non dubitant; utpote de quo frequens sibi cum illis soleat esse confabulatio. Propterea non dicunt: osculetur nos ille, vel ille; sed tantum osculetur nos; sicut Maria Magdalena non exprimebat nomine, quem quæreret; sed tantum agebat ei, quem putabat hortulanum: Domine! si tu sustulisti eum. Quem eum? non aperit: quia palàm omnibus esse credit; quod à suo corde, nec ad momentum, recedere potest.

Nec

90 CONTEMPLATIONES

Nec unum osculum quærit virgo illa desponsata, diuturno & iusto fervens amore, nec ferens moras; sed plura oscula: ut desiderium suum possit explere. Quæ enim diligit, non est unius osculi parcite contenta: sed plura exigit, plura vindicat; & ita se amplius dilecto commendare conficit.

Osculare & tu, animula mea! Dominum: ne quando irascatur, & pereas in via.

Qvis mihi dabit te, Domine! ô inveniam te; & deosculabor, non manus meas, aut quicquam, quod manus hæc possunt attingere: sed te, Domine!

Taceat tumultus carnis; conticescant phantasiæ terrarum & aquarum, aëris & poli! Taceant somnia & imaginariæ revelationes! omnis lingua, omne signum, & quicquid transeundo fit, taceat. Sileas tibi & ipsa, animula! & transeas te: non cogitando te, sed Deum meum! quoniam ille est revera tota spes & fiducia mea.

Est enim in DEO, & Domino nostro

stro

stro Jesu Christo, dulcissimo & benignissimo atq; clementissimo, uniuscujusq; nostrum & portio, & sanguis, & caro.

Amans cum re amata unum esse, quoad licet, appetit: quocirca & haerent, & corpora conferunt, & spiritus duo osculorum conjunctione, unus ut fit, faciunt. *Tu, Jesu! amor meus, tu desiderium meum, tu cogitatio mea, tu spes mea, tu votum meum! o utinam adhaerescere tibi semper possim!*

Utinam, ubi tu, portio mea, regnas; ibi ego saltem serviam! utinam, ubi tu, sanguis meus, dominaris; ibi ego famuler! utinam, ubi tu, caro mea! glorificaris; ibi ego non confundar!

Pecca-

Peccator quidem sum : sed tamen de gratiæ communione non diffido. Et si peccata mea prohibent ; substantia mea requirit : si delicta propria me excludunt ; naturæ communio non repellit. Non enim tam inimicus est Dominus : ut non diligat carnem suam, membra sua, & viscera sua.

Desperare utique potuissem, propter nimia peccata mea, & vitia, & culpas, & infinitas negligentias meas, quas egi, & quotidie indefinenter ago, corde, ore & opere, & omnibus modis, quibus humana fragilitas peccare potest : nisi osculatus me esses ; nisi, ô Verbum ! caro factum esses ; nisi habitares in me.

Taceat hîc ratio ; loquatur fides ! Vera sunt, quæ loquor ; quia tuus mihi Spiritus ea revelavit : tam profunda autem sunt, ut penetrare non possim ; tam sublimia sunt, ut mea profunditas eò ascendere non permittat.

Venerabor ea silentio ; admirabor
adora.

adoratione: & tua incarnatio miracu-
losa purificabit incarnationem meam
maculosam.

*Non capiat ratio, quod
agit tua adumbratio: modò
firma jam sit & inconcussa
certa q̃ mei salvatio.*

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XIV.

De Christi Nativitate.

QUod nemo vidit unquam, totus
jam mundus videat: quod ne-
mo audivit unquam, totus jam mun-
dus audiat!

Deus, Dei filius, humanæ nativita-
tis verecundiam subit, & contumeliosa
terreni ortus principia suscipit.

In præsepio jacet, cui serviunt
angeli.

Involvi

94 CONTEMPLATIONES

Involvi se pannorum crepundiis patitur, qui cœlum tegit in pannis. Nulla domus ambitio: nisi reclinatorium in stabulo; mater in fœno.

Tale eligit fabricator mundi hospitium! huiusmodi habuit delicias sacræ virginis puerperium!

Panniculi pro purpura; pro bysso, in ornatu regio, lacinia congeruntur.

Ex corde parentis, ante mundi exordium, natus, Alpha & Omega cognominatus, fons & clausula omnium, quæ sunt, fuerunt, quæque post futura sunt: jam completo præstituti temporis termino, servile corpus induit, & ex puella prognaſcitur paupercula.

Psallat altitudo cœli; psallat omnis Angelus; quicquid est virtutis unquam, psal-

psallat in laudem Dei: nulla lingvarum
filescat; & vox omnis concrepet, se-
culorum seculis.

Senes, juvenus, parvulorum cho-
rus, turba matrum virginumque, sim-
plices puellulæ, voce concordēs, pu-
dicis perstreant concentibus.

Agnoscat omne seculum; venisse
vitæ præmium, post hostis asperi
jugum.

Quantus est ille, qui datur mihi?
Angelus pacis est. Agnus Dei est. Be-
nefactor omnium est. Cornu salutis
est. Conculcator capitis serpentini
est. Dominator Israël est. Deside-
ratus gentibus est. Dux vitæ est. Ex-
pectatio populorum est. Filius Altis-
simi est. Germen Jesæum est. Hu-
milis vocator hominum est. Interces-
sor noster est. Justitia nostra est. Li-
berator noster est. Mediator noster
est. Nutritor noster est. Opitulator
noster est. Princeps pacis est. Pro-
pheta magnus est. Quietis reparator
est. Redemptor est. Reconciliator
est. Rex Sionis est. Salvator est. Sa-
crifi-

crificium expiatoriū est. Sponsus cœlestis est. Tristitiæ expulsor est. Verbum incarnatum est. Xenium amplissimum est. Zelotes cœlestis est.

Omnia est. Cœlum coruscans intonet; tellus resultans personet: hiens Avernus mœreat: sed gens humana jubilet.

In tenebris palpitabamus, & nocte densissimā occæcabamur, ac tegebamur: prodit è tenebris & nocte, qui tenebras ignorantiae, & noctem peccatorum cispellit.

Non aliena ampliùs nostra natura est à Deo: cū in ea, in Christo mediatore, tota plenitudo Divinitatis inhabitet. Virginalis enim uterus electus est; in quo Dominus cœli & terræ germinaret: nec propter illam tantū masam beandam Dei filius incarnatus est; sed ut ex plenitudine ejus nos omnes acciperemus.

Non solum fecit me Deus meus; sed etiam fecit multa pro-

propter me: cum verbum caro factum est, propter me; & habitavit in nobis. Factum est mecum una caro: ut me faceret secum spiritum unum.

Quod homo est; Christus esse voluit: ut & homo esse posset, quod Christus est.

Impossibile mihi est, hujus nativitatis scire secretum. Mens deficit, vox file: non mea tantum; sed & Angelorum. Supra potestates, supra Cherubim & supra Seraphim, & supra omnem sensum est.

Ori ergo manum pono. Scrutari non licet superna mysteria.

Licet scire, quod natus sit; non licet discutere, quomodo natus sit. Hoc enim quærere, metus est.

Ineffabilis hæc est nativitas. Quis enarrabit? Angelus nunciat; virtus obumbrat; subvenit spiritus; vir-

E

go cre-

go credit; virgo parturit; virgo permanet.

Qvis non miretur? Nascitur Verbum infans, & agnoscitur longitudo brevis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana. Ibi agnoscitur lux non lucens, Verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens.

O natiuitas, illibatâ sanctitate honorabilis mundo! amabilis hominibus, collati magnitudine beneficii inuestigabilis etiam Angelis, sacri profunditate mysterii! & in his omnibus admirabilis singulari excellentiâ novitatis! Utpote, quæ nec primam similem, nec habere sequentem visa est.

Ah! quæ causa veniendi & nascendi Christo? quæ? nisi peccatores saluos facere.

Tolle morbos; tolle vulnera: & nulla causa erit medicina. Venit ergo de cœlo magnus Medicus: quia ubiq; jacebat agrotus.

Genus

Genus humanum totum perierat;
ex quo peccavit unus, in quo totum
erat: ideo venit unus sine peccato; qui
salvos faceret omnes in peccatis. Non
enim eum de cœlo ad terram merita
nostra, sed peccata traxerunt.

Dignum est, animulæ fideles! pe-
tore Christiana! animi credentes! ut,
totâ devotione, Domini celebremus
adventum, meditemur nativitatem:
delectati tantâ consolatione, stupefa-
cti tantâ dignatione, inflammati tan-
tâ dilectione.

Dignum est, Fratres! ut gloriam
trinæ Monadicamamus, & Deo, Divæ
genitæq; proli, nec non Flamini ab u-
troq; procedenti.

*O Jesu! qui nasci voluisti
parvulus; fac, ut & ego par-
vus sim in oculis meis, nec
nimis appetam sublimia.*

Qui natus es in utero Virginis ca-
stissimæ: in meo quoq; corde nascere
casto, & abs te purificato!

100 CONTEMPLATIONES

Qui natus in oppidulo Bethlehem,
hoc est, in domo panis, & quæsitus ac
inventus es à pastoribus; adjunge tuis
me sæpè pastoribus; & panem mi-
hi cœlestem subministra: atque ita tua
me nativitas satiabit æternùm.

*Cœlum rumpebatur, cùm
nascereris: aperi & mihi cœ-
lum, cùm terrenæ hujus meæ
nativitatis & peregrinatio-
nis dies fuerint elapsi; ut te
videam, & glorificem.*

Pastoribus ad te contendentibus
Angeli se asfociant: asfocia & mihi
eos; ne in avia præcipitem, aut quic-
quam, præter te, desiderem.

Claritas Domini eos, qui præstò
tibi esse cupiebant, irradiabat: uti-
nam & ego semper apud te adesce, &
luce tuâ semper possim illuminari!
ne in tenebricosam paludem irruam,
aut squalori & cecitati perniciosæ
involvar.

In

In diversorio locus tibi non concedatur: eja! in corde meo locum tibi elige. Cor meum sit cunæ tuæ; sit fasciæ tuæ, quibus inseraris: ut in æternum tuis ego vulneribus, & tuæ misericordiæ, maneam insertus!

Et magnificabit te anima mea, Domine! & spiritus meus exultabit in Deo, salutari meo. Exclamabo, cum exclamantibus & flammantibus cœlicolis: *Gloria in excelsis Deo! in terra pax! in hominibus bona voluntas!*

Nunc facta est salus & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus.

Dignus es, Domine, Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem. Ah! Domine, quando hoc fiet? quando hoc mihi largieris?

E 3

CON-

102 CONTEMPLATIONES
CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XV.

De Nomine Jesu.

Cujus nominis sonus ad aures
meas advolat? Nomen est, quod
non imposuerunt parentes; non in-
didit circumcisor sacerdos: sed Ange-
lus e coelo attulit, & Deus, ut nobis
afferretur, & annuntiaretur, manda-
vit. Nomen hoc est, JESUS.

Quàm jucundum, quàm delectabi-
le, quàm efficax nomen! Quàm sola-
tur hoc nomen animam meam! Deus
salvos faciendi est Jesus: quod exponi-
tur Salvator. Nam ratio nominis hujus
hæc reddita est; quando, priusquam
ex Virgine nasceretur, dictum est:
*Vocabis nomen ejus Jesus:
quia salvum faciet populum
à peccatis suis.*

Annun-

Annunciavit jam Dominus salutem suam : omnes fines terræ vident salutare Dei. Aperuit se terra : & fructificaverunt salus & justitia. Salvos nos facis, Deus meus ! in Domino Deo nostro. Dedisti nobis lucem gentium : quæ sit salus nostra usq; ad extremum terræ.

Lætetur ergo in DEO, salutari nostro.

Dicite, filiæ Sion : ecce venit salus !

Reliqua Messiae nomina ab ipsius salvationis sumuntur effectu : & vel tantum principium, vel tantum medium, vel tantum finem salvationis significant : hoc verò nomen JESUS totum salutis nostræ procesum, principium scilicet, medium, & finem, sufficienter continet & exprimit ; & reliqua omnia includit.

Hoc nomen adorant Angeli ; tremunt demones ; & homines ad salutem adsumunt.

Lucet hoc nomen prædicatum, pascit recogitatum ; in-

*vocatum lenit & ungit: non
quidem litteris, sed spiritu
& vitâ.*

Unde in toto orbe tanta & tam subita lux fidei: nisi prædicato nomine Jesu? nonne, in hujus nominis luce, Deus nos vocavit in admirabile lumen suum; quibus illuminatis, & in lumine isto videntibus lumen, dicat meritò Paulus: fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.

*Nec tantum lux est nomen
Jesu; sed est & cibus.*

Annon toties confortaris, quoties recordaris? quid æquè mentem cogitantis impingat? quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atq; honestos, castas fovet affectiones?

Aridus est omnis cibus; si non oleum istud infunditur: insipidus est; si non hoc sale conditur.

Si scribas; non sapit mihi, nisi ibi legero Jesum: si disputes, aut conferras;

CHRISTIANI. 105
ras; non sapit mihi, nisi sonuerit ibi
Jesús.

*Jesús mel in ore, in aure
melos, in corde jubilus: sed
est & medicina.*

Tristatur aliquis nostrum? veniat
in cor Jesús, & inde saliat in os: &
ecce! ad exortum nominis lumen;
nubilum omne diffugit, redit serenum.
Labitur quis in crimen; currit insuper
ad laqueum mortis, desperando: non-
ne si invocet nomen vitæ; confestim
respirabit ad vitam?

Fuerunt quidem multi alii; qui no-
men Jesu habuerunt. Nam nomen
Josuæ, qui duxit Israëlitas per Jorda-
nem in terram Canaan, idem est cum
nomine Jesu. Filius quoque Syrach, vo-
catur Jesús: & in Zacharia mentio fit
Jesu. Sed hi nomen sine re geserunt:
aut si quam præstiterunt salutem; hu-
jus mei Jesu virtute & auxilio præ-
stiterunt.

Similiter fuerunt multi, qui salvato-

res dicti sunt, ut Athniel, Ehud & alii: sed hi fuerunt tantum salvatores corporales, & populum tantum liberaverunt ad aliquod tempus, ab externis hostibus, & servarunt cum aliquandiu tutum à latronibus hujus seculi. Meus hic Jesus est verus salvator: liberat enim, & servat populum suum; non solum ab hostibus externis, sed etiam à spiritualibus astutiis in coelestibus.

Externis quidem hostibus nos aliquando tradit; nec statim est Jesus, aut salvator; bellum, pestem, grandinem, frigus, paupertatem, infamiam, morbum, captivitates, servitutes immittit: sed ad salutem nostram sempiternam.

Et fidelis etiam est Jesus: neque quonquam supra vires suas sinit tentari; sed ita tentationibus modum statuit, ut ferre eas possimus.

Et quamvis Jesus noster in malis hujusmodi externis nimis nos graviter nimisque diu videatur deferere, & nimis grande nobis onus imponere;

ut

ut metuamus, ne opprimamur, & succumbamus deficiamusq; : expectandus tamen est Jesu nostri adventus; qui satis erit opportunus.

Novit optimè Jesus meus, quantum sustinere possimus, & quæ sint vires nostræ. Et sicut nauclerus diligenter observat; ne navis nimio onere prematur, neve aliquid sibi sit periculi metuendum: ita Jesus meus librat & ponderat antè facultates nostras; quàm crucem imponat, quæ illas nunquam excedit.

Semper cogita, animula mea! Jesum: quia semper opus habes Jesu. Si peccata te tua angunt, & multitudinem eorum tibi Satanas depingit, & proponit; ut persvadeat, plura esse, quàm possint remitti; majora esse, quàm cœlum & solum: advoca Jesum tuum; & Satanam fac ludibrium. Jesus est salvator meus; qui à peccatis meis me liberavit, & ea in se suscepit, factus pro me, & toto mundo, lytron, victima & propitiatio.

Et quia constat; quòd non fictus,

sed verus sit Salvator; veros, non fictos peccatores esse, necessum est, quos ipse salvet. Hæc enim sententia revocari nunquam potest: Christus est agnus Dei; qui tollit peccata mundi.

Si mortis te metus sollicitat, ejusque te expectatione Satanas planè cupit exanimare, ac mortis figuram tibi depingit longè truculentissimam, longèque horribilissimam; & minas tibi recitat, quas Deus proponit peccatoribus, & iram, quam reservat peccatis: te nomine Jesu muni, & terroribus mortis oppone. Quid est, quòd metua mortem, quòd metuum ejus dolores? cum Jesus meus, suam mortem, meam mortem mortificaverit: ut ipse me docuit: *ero mors tua, o mors!*

Mœrorem tibi ingerit Satanas? mœrore ipse æterno punitus & obrutus, alios in societatem pertrahere cupiens: pronunciato ex fide Jesu nomine, evanescit. Jesus enim est; qui ideo te à peccatorum maledictione
exe.

exemit, & Patri æterno reconciliavit :
ut æternum cum ipso lateris. Quid
igitur tristaberis ? quicquid tibi eve-
niat : in cor & labra tua nomen Jesu
veniat : ut afflictiones omnes efficaciam
suam leniat.

*Nil canitur suavius, nil
auditur jucundius, nil cogi-
tatur dulcius ; quam Jesus
Dei filius ?*

Nulla species peccati tanta est ; quam
non sit superior Jesus !

O ergo Jesu nomen dulce, nomen
delectabile, nomen confortans !

O Domine Jesu ! si ego admisi ; un-
de me damnare potes : tu non amissi-
sti ; unde me salvare potes !

O misericordissime Jesu ! ô dulcis-
sime Jesu ! ô gratiosissime Jesu ! ô
Jesu, Jesu ! ô Jesu ! salus in te speran-
tium ! ô Jesu ! salus in te credentium !
ô Jesu ! salus ad te confugientium ! ô
Jesu ! dulcis remissio omnium pec-
catorum !

E 7 O Je-

III CONTEMPLATIONES

*O Jesu! propter nomen
tuum sanctum, salva me: ne
peream!*

O Jesu miserere; dum tempus est
miserendi: neque damnes me, in tem-
pore judicandi!

*Jesu Christe! miserere mei.
Propter hoc nomen tuum; fac
mihi, secundum hoc nomen
tuum: respice me miserum,
invocantem nomen tuum.*

Verum est, conscientia mea meruit
damnationem; & poenitentia non
sufficit ad satisfactionem: sed certum
est; quod misericordia tua superat
omnem offensionem. Illam ergo mi-
sericordiam largire mihi Jesu! pro-
pter nomen tuum. Salvas enim po-
pulum tuum, omnino gratis, per fi-
dem; absque omnibus operum meri-
tis: tantum propter nomen tuum;
tantum propter nominis tui virtu-
tem; tantum propter corporis tui
sangi-

sanguinem, quo placavisti Patrem, & impetraſti redemptionem. Et ideo *gratis*, & non propter opera, ſalvas populum tuum: ut conſcientia poſſit certa eſſe de redemptione. Non poſſet certa eſſe: ſi non ſalvares; niſi propter merita noſtrorum operum. Merita enim habemus vel nulla, manifeſtè contra legem Dei peccantes; vel habemus merita, non ſufficientia: ſiquidem opera noſtra imperfecta ſunt; quæ nullo modo legi Dei ſatisfaciunt. Proinde ut conſcientia de remiſſione peccatorum certa ſit; neceſſe eſt, te Jeſum meum eſſe gratis: qui cùm ſis verax & conſtans in promiſſionibus tuis; non poteſt fieri, ut, qui credo in nomen tuum, decipiar.

O Jeſu benigniſſime! O Jeſu! dulciſſime

fime Domine ! in hac me fide & fiducia ad finem usque conserva !

Ultimum verbum tuum in cruce, sit ultimum verbum meum in hac luce. Et cum amplius fari non possum; exaudi finale meum desiderium! Pater in manus tuas commendo spiritum meum: Domine Jesu! suscipe spiritum meum: redemisti me, Deus veritatis! Deus salutis meae!

O Jesu parvule ! solum requiro te ! mentem meam solare, ô puer optime ! dulci tuo favore, ô princeps gloria! trabe me post te, trabe me post te ! Duc me, ô salus nostra

*stra vera! tuam ad patriam,
post tuam victoriam: in qua
sit laus tibi in seculum.*

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XVI.

*De Christi & nostra Cir-
cumcisione.*

Videte, oculi mei! Jesum meum:
confidera, anima mea! Chri-
stum meum. Culter apprehenditur:
& filiulus altissimi ad fauciationem
pertrahitur. Abstine, culter! ab in-
nocente: parce, Synagoga! infonti:
mitte, circumcisor! illibatum: involve,
pater! intemeratum.

Sed voluisti ita, Jesu meus! circum-
cidi, fauciari, & sanguinem mittere
tenerrimum.

Quid ita properas, Domine! ad
sanguinem.

114 CONTEMPLATIONES

sanguinis lactei profusionem? salus mea est, quæ properare te cogit.

Quid verò circumcisioni te subijcis: qui Dominus es legis, & legislator ipse? An, ut confirmares: circumcisionem, quam olim dederas, justè inservisse, usque ad tuum adventum: & ne antiqua religio prorsus reproba videretur? an, ut Judæos, susceptâ circumcissione, servares: quemadmodum gentes baptismo, id est, purificari roris perfusione, eras servaturus? an, ut omnem legem servares, impleres, sifteres?

Quid multis? circumcissus es, propter quod natus es, propter quod passus es: nihil horum propter te, sed omnia propter electos, propter me, propter omnes tibi adhærentes: ut solveres pro nobis debita, qui nihil debebas, & propriis & alienis nos liberares delictis.

O amantissime Jesu! adhæreo ego tibi: tu mihi adhære æternum: debita ego contraxi; tu solve.

Te precor per illum sanguinem pretio-

pretiosum, quem primùm, pro peccatoribus, in tua sanctissima circumcissione, & postea abundantissimè, in amara tua passione, effundere voluisti: ut abluas omnes iniquitates meas. In me respicias humiliter petentem, & sanctum nomen tuum sæpius invocantem.

Fac, Domine, ut ego legibus meis promptè subjiciam: ex te, Domino meo, servus ego mandatis tuis discam parère; & non necessitate tantum, sed liberâ voluntate tibi obtemperare.

Hæc enim est vera humanæ naturæ obedientia; cùm voluntatem suam liberam, spontè voluntati Dei subdit; & cùm acceptam bonam voluntatem, sine omni exactione, spontaneâ libertate, opere perficit.

Da, Domine! mihi circumcissionem cordis: quæ est, sublata erroris nebula, agnoscere creatorem, Deum Patrem, & Filium ejus, Christum, per quem creavit omnia: ut veritas Dei impleretur. Da, omnem immundiciam

ciem cogitationum, atque impuros
sensus abscindam à corde; & abjiciam.
Nec enim jam truncationem præputii
Evangelium imperavit: sed circumci-
sionem cordis, & omnem tam mem-
brorum, quam affectionum petulan-
tiam, gladio spiritus, resecari.

Non est hæc in meis facultatibus
circumcisio: subveni tu mihi, Domi-
ne! & imbecillem adjuva; quod per
fidelem tuum, Moysen, promisisti:
*circumcidet Dominus Deus
tuus cor tuum, & cor seminis
tui: ut diligas Dominum De-
um tuum, ex toto corde tuo,
& in tota anima tua.*

Adsum ego, Domine! ut iusti-
fici, per fidelem tuum Jeremiam:
*circumcidimini Domino, &
auferte præputia cordium
vestrorum: ne fortè egredia-
tur, ut ignis, indignatio mea.*

Da,

Da, & de me dicat fidelis tuus, Paulus: *circumcisus es circumcissione, quæ fit sine manibus: dum exuisti corpus peccatorum carnis, per circumfessionem Christi.*

Judæi unum saltem corporis membrum circumciderunt: da, Domine! omnia ego membra mea circumcidam. Pravum est cor hominis: circumcidendum ergo est, & in illud distringendus est gladius Spiritus: qui est prædicatio Evangelii de Jesu Christo; quam si quis in corde suo fide exceperit: huic primum non imputabuntur peccata; sed reputabitur justus, propter Christum. Deinde dabitur ei Spiritus sanctus: cujus virtute fiet, ut reliquæ peccati non regnent in mortali suo corpore; sed ut membra sua accommodet arma justitiæ Deo.

Excita me, Domine! & fortifica:
ut

118 CONTEMPLATIONES

ut circumcidam oculos; ne videant vanitatem, aut adulteriis clandestinis se conspurcent. Mandasti hoc, Domine!
si oculus tuus dexter obstaculo tibi fuerit; erue illum, & abjice abs te.

Excita me, Domine! & fortifica: ut circumcidam manus; ne innocentem effundant sanguinem; ne furentur. Præcepisti hoc, Domine!
si dextera tua obstiterit tibi; amputa eam.

Excita me, Domine! & fortifica: ut circumcidam pedes; ne in viam eant peccatorum; ne properent ad malum.

Ita deposito homine veteri, & induto novo, nova ero creatura: & regni tui, Christe! hæreditatem possidebo. Possidebo societatem civium supernorum, choros hymnidicos Angelorum, dulcem solennitatem beatorum cunctorum. Ita dices, Christe!
 Patri

*Patri tuo: volo, ut, quem dedi-
sti mihi, jam sit mecum: ut
videat claritatem meam,
quam habui apud te, ante
mundi constitutionem.*

O quando hoc dices, Domine! &
quando hoc audiam!

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XVII.

De Christi Passione.

Tunc pro me ascendas Hieroso-
lymam: ut consummentur o-
mnia, quæ scripta sunt de te, per Pro-
phetas? ut ludibriis gentium expona-
ris, ut flagellis cedaris, ut sputis con-
spurceris, ut stipiti affigaris? tu, qui
Dominus es gloriæ, Deus vitæ & salu-
tis, Deus summus, optimus, omnipo-
ten-

tentissimus, misericordissimus, justissimus, secretissimus, praesentissimus, pulcerrimus & fortissimus, stabilis & incomprehensibilis: invisibilis, omnia videns; immutabilis, omnia mutans; immortalis, illocalis, interminus, incircumscriptus, nusquam finitus, inestimabilis, ineffabilis, inscrutabilis; immotus, omnia movens; non investigabilis, indicibilis; metuendus atque terribilis; honorandus atque timendus; venerandus atque reverendus: nunquam novus, nunquam vetus, innovans omnia! Pro me: qui abysus tenebrosa, terra misera, filius irae, vas aptum in contumeliam, genitus per immundiciem, vivens in miseria, moriturus in angustia, vas sterquilini, concha putredinis, plenus foetore & horrore: caecus, pauper, nudus, plurimis necessitatibus subditus, & ignorans introitum & exitum meum, miser & mortalis: cujus dies, sicut umbra, praetereunt; cujus vita, sicut umbra lunatica, evanescit; sicut flos in arbore crescit, & statim marcescit;
nunc

nunc floret, & statim aret: cuius vita fragilis, vita caduca; vita, quæ quantò magis crescit, tantò magis decre- scit; quantò magis procedit, tantò ma- gis ad mortem accedit!

Quid cogitem? quid eloquar? Quid commisisti, dulcissime! ut sic judica- reris? quid commisisti, amantissime! ut adeò durè trahereris? quod scelus tuum? quæ noxa tua? quæ causa mor- tis? quæ occasio tuæ damnationis?

Ego sum tui plaga doloris, tuæ cul- pa occisionis: ego sum tuæ mortis me- ritum, tuæ vindictæ flagitium: ego sum tuæ passionis livor, tui cruciatus labor.

O magnitudinem & turpitudinem peccati mei!

*Ex consideratione reme-
dii periculi mei aestimo quan-
titatem: sic & medicina æ-
stimatio, doloris mihi & ti-
moris est exaggeratio.*

F

O &

122 CONTEMPLATIONES

O & dulcedinem, & magnitudinem amoris tui ! Licet, Domine ! Deus meus, mundus in maligno positus esset, & plenus miseria : tamen, pro nobis, in mundum, tuum benedictum, filium misisti. Et ad hoc misisti ipsum in mundum : ut venditus nos redimeret ; occisus vivificaret ; injurias passus honoraret, & in filios adoptaret.

Si quæ pro miserrimo pertulit homine, vellem recensere : quæ vox mihi sufficeret ? quæ auris non lasa perciperet ? Vix enim natus, sanguinem, in circumcissione, effudit : vix circumcissus, protinus ad cædem fuit designatus : vix doctrinam suam publicè professus, concitator populi, impius, blasphemus, furiosus, denique diabolus, ab iis, quorum Deus semper fuerat peculiariter, vocatus fuit.

Ubique video miseriam, calamitatem, probra, contumelias, dolores, paupertatem, lassitudinem, incerorem, famem, sitim : ut, in sola passione, tantum pertulisse videatur ; quantum in tota vita mea, cogitatione satis adsequi non potero.

Post.

Postquam coæternus & consub-
stantialis Patri Filius, Ecclesiæ patro-
nus omnipotens, preces illas, quas
pro hominum salute conceperat, ar-
denter effudisset; quibus Ecclesiam
potissimum, charum illud pignus (cu-
jus causâ omnia non tantum fortiter,
sed & libentissimè & liberalissimè, non
guttam, sed undam sanguinis per quin-
que vulnera sinens emanare, ferebat)
patri commendaverat: trans torren-
tem, cui ab umbrosa valle nomen erat,
cum discipulis obambulanti, cum ar-
mata ministrorum ac satellitum co-
horte, proditor occurrit: fugiunt pro-
pinqui; discipuli recedunt. Amicus
& contubernalis dum salutat innocen-
tem, pro nocente tradit: sed quem an-
tè (ô immane scelus!) nummis paucu-
lis & precio servili vendiderat.

Constringuntur manus; vinciun-
tur brachia: vinctus ac constrictus
abducitur: juvenis charissimus, qui
sanctissimum illius sinum paulò antè
presferat, sequitur: sed eminùs, sed

124 CONTEMPLATIONES
maximo cum metu. Reliqui ne ad-
sunt quidem.

Quos amaverat, quos saturaverat,
quos curaverat, quos sanaverat, ne re-
spiciunt quidem. Omnes deserunt
eum, qui neminem deseruit unquam.
Constituitur in domo prætoria infeli-
cissimum spectaculum: nudatur cor-
pus verecundum, purissimæ Virginis
partus; & à foedisimis lorariis diver-
beratur ad necem. Instant illi voce &
flagellis, cruore non minùs ebrii,
quàm vino: ad columnam alligant,
verberibus contundunt, plagas pla-
gis ingerunt, crebris ictibus locus re-
sonat: ex membrorum laceratione vis
sanguinis exilit: & jam in toto corpo-
re nulla corporis facies.

Ecce homo! Hic attolle ocu-
los, ô anima! & in faciem Domini &
Dei tui intueri.

Relinque paululùm omnes vanita-
tes tuas, quibus toto vitæ tempore
adhæfisti: &, si potes, vel momen-
tum unicum, omnes cogitationes tuas
colli-

collige, & in Servatorem tuum hodiè transfunde.

Ecce homo! ecce vir doloris!

Ecce speciosus præ filiis hominum, rubicundus, electus ex millibus, cujus comæ, sicut germina palmarum, nigre quasi corvus; cujus oculi, sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ sunt lacte lotæ; cujus labia lilia distillantia myrrham primam: ecce ille nihil nunc, quàm sanguinem, pluit!

Coma sanguine concreta est; caput, spinis perforatum, sanguinem ejaculatur: nares, colaphis contritæ, nigerrimo cruore vultum asperferunt. Et quod omnium est miserrimum, vinctus ac constrictus non habet, quo sanguinem, non habet, quo, manantem toto corpore, cruorem abstergat.

Ecce homo! Hæc est illa facies; quam cœli non sustinent, inferi non ferunt. Hic est, qui nunc obmutescit; cujus vox in nubibus auditur;

F 3

eius

cujus tonitru, horribili fragore, mentes hominum percellit.

Ecce homo ! Ecce Dominus stat egenus, qui possidet omnia: victus stat, qui omnes liberat; vulneratus stat, qui omnibus medetur.

Ecce homo ! tuâ causâ, ô homo ! stat coram iudice: coram omnibus, stat pro nobis omnibus.

Stat exutus veste: stat exspoliatus: ne quod vulnus toto corpore latere spectatorem possit.

Disce, ô homo ! quanti Christus fecerit te, ex his, quæ passus est pro te: quia quantò pro te vilior, tantò debet esse tibi charior.

Disce, ô homo ! Dei cavere offensiones. Ecce ! quanto sudore, quanto labore, quanto dolore constitit: ut tibi Patrem posset Filius reconciliare !

Dixi multa: sed si alia consideres, paucissima. Addunt namque satellites suppliciiis contumeliam; cum purpuram insontis sanguine purpuratam corpori induunt: coronam rigentibus

bus

bus spinis aculeatam, venerando capiti affigunt.

Regem salutant; & os Regis percutiunt: ac teterrimum redundantium cœnarum popinam, cum sputis, afflant speculo Angelorum.

Mox ubi deventum est in Calvariam: sacrilegi accingunt se ad carnificinam; & jam exanime propè corpus dirisimo crucis multant supplicio.

Clavis configuntur innocentissimæ manus, quæ injuriam nemini, omnibus salutem pepererant: ferreo vinculo constringuntur sanctissimi pedes, pro mea & omnium mortalium salute fortiter asserenda, tam crebris itineribus exerciti.

Natant in cruore oculi; duo illa quondam bonorum sidera, improborum verò fulmina: filet os purissimum; ex quo mellei depluebant favi: vincta est lingua; quæ, silentio ipso, parricidarum arguit crudelitatem.

Ad hunc adspectum exhorruit cœlum, & atrâ veste suum luxit conditorum: Sol, princeps siderum, se repen-

tinis tenebris obduxit, & tantum scelus erubuit: fremuerunt Angeli; illacrymarunt cœlites.

O duriores filice hominis vultum, qui siccus hæc legit! ô cor hominis adamantinum; in quod hæc non penetrant! ô animam hominis efferam & ferream; quæ hæc non perpendit!

Clamat, clamat fessus pressusq; sub tanto onere Salvator; & in animo suo nos compellat: *popule mi, quid feci tibi? aut quid molestus fuit tibi? responde mihi. Non fœneravi, nec fœneravit mihi quisquam, in universa terra: omnes maledicunt mihi. Conclusit me Deus apud iniquum: Et impiorum manibus me tradidit. Circumdederunt me vituli multi: tauri pingves obsederunt me.*

me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum, tanquam cera, liquefcens in medio ventris mei. Aruit, tanquam testa, virtus mea: & lingua mea adhaesit faucibus meis; & in pulverem mortis deduxisti me.

Clamavit, clamavit: sed non erat, qui audiret.

Extra urbem, tanquam publicum bidental, ne contagione sua quendam scilicet pollueret, ad infamem scelestorum pcenis locum deducitur: quem à mortuorum craniis, quod passim sparsa ibi essent, accolæ indigtabant.

Deducitur dux cœlestium exerci-
F 5 tuum:

tuum: & in conspectu hominum, in conspectu Angelorum, inter cœlum & terram, maledictæ cruci affigitur: aceto, refocillandus, infirmatur; occiditur; lanceâ confoditur.

Quod orationis flumen hæc satis potest explicare?

Sed hæc rerum harum stupendarum recordatio lacrymas potius fidelium, quàm Oratorum eloquentiam, desiderat.

O quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte. Flebo fletu ingenti: inebriabo te, maxilla mea! lacrymis meis: iustus periit; & non est, qui cogitet in corde suo: cœli Dominus obiit; & non est, qui hoc spectare ad se existimet!

Susci-

Suscitare, anima mea ! & Domi-
nicæ passionis meditatione fatigare:
*nullum tempus transigetur
felicius; quàm quod devotus
passioni impendit animus.*

O mirabilis censuræ conditio; &
ineffabilis mysterii dispositio !

Peccat iniquus; & punitur justus:
delinquit reus; & vapulat Deus: of-
fendit impius; & damnatur pius. Quod
meretur malus; patitur bonus: quod
perpetrat servus; exsolvit Dominus.
Qvò, nate Dei! qvò tua descendit hu-
militas? qvò tua flagravit charitas?
qvò tuus pertigit amor? qvò pervenit
compasio?

O Domine Jesu Christe! tuo me
Spiritu rege & gubernare: ut, conside-
ratione mortis tuæ, compuncta mens
carnem suam crucifigat, cum vitiis &
concupiscentiis.

O Domine Jesu Christe! nitor ego
tantum tuâ passione & morte.

O Domine Jesu Christe! quid de-

licias tuas, attestatus es, esse cum filiis
 hominum, propter hominem homo
 factus, in fine temporum; memento
 omnis meriti, & intimi mœroris,
 quem ab initio conceptionis tuæ, in
 humana natura sustinuisti, maximè
 instante saluberrimæ tuæ passionis
 tempore, in Divino corde ab æterno
 præordinatæ: memento tristitiæ & a-
 maritudinis, quam in anima tua, te ipso
 attestante, habuisti; quando dixisti:
tristis est anima mea usq; ad
mortem: & quando, in ultima cœ-
 na, discipulis tuis corpus & sanguinem
 tuum tradidisti, pedes eorum lavisti,
 &, dulciter eos consolando, immi-
 nentem passionem tuam prædixisti:
 memento tremoris, angustię & do-
 loris, quem in toto corpore tuo te-
 nerrimo, ante passionem crucis tuæ,
 pertulisti; quando, post trinam o-
 rationem, sanguineum sudorem sudâ-
 sti: quando à discipulo proprio tra-
 debaris; ab electa gente capiebaris;
 à fal-

à falsis testibus accusabaris ; à tribus
judicibus injustè judicabaris, in electa
civitate : quando paschali tempore,
in florido corporis tui vigore, inno-
center damnabaris, tradebaris, con-
spuebaris, veste propriâ exuebaris ;
vestibus alienis induebaris, pugnis
tundebaris, oculis & facie velabaris,
ad columnam ligabaris, spinis coro-
nabaris, & hæc quidem omnia, pro-
pter me, propter me.

O dulcissime Jesu ! da mihi, qua-
so, ob memoriam harum poenarum &
passionum, veram, ante mortem me-
am, contritionem, puram confessio-
nem, & omnium peccatorum meo-
rum remissionem : in morte da ani-
mæ meæ confortationem & conso-
lationem : post mortem da mihi
salutem & glorificatio-
nem ! Amen.

134 CONTEMPLATIONES
CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XVIII.

*De primo & secundo Verbo
Domini, in cruce prolato.*

EXclamat, ô anima mea! moerens
lucensque, unus ex Dei tui Fide-
libus, de Jobo: quale in illo viro fere-
rum Deus de diabolo exstruxit! qua-
le vexillum de inimico gloriæ suæ ex-
tulit! cum immundam ulceris sui re-
dundantiam magnâ æquanimirate di-
stringeret. *Cum erumpentes in-
de bestiolas, in eosdem specus,
& pastus foraminosa carnis,
ludendo revocaret?*

Sed immotâ animi constantiâ, &
nunquam vacillante patientiâ quanto-
pere ipsum Salvator meus superavit?
In extrema ille necessitate, in angore
mortis, in dolore inferorum, ab irato
Deo

Deo destitutus, ac contritus, à mentis robore non deficit: nullum pectoris, à rectitudinis tramite declinantis, indicium prodit; sed hominem, ut semel ccepit, ita pergit amare.

Audi verba, quæ è crucis cathedra protulit: pauca, sed magna, utilia dignaque; quæ Christianorum nemo ex corde prius dimittat, quàm spiritum vitalem.

Ait autem : *Pater ! dimitte illis : non enim sciunt, quid faciant.* O supereminentem charitatem tuam, Domine ! Non oras, Domine ! ut puniantur, qui afflixerunt, & crucifixerunt te ; sed ut merito passionis tuæ fruantur & salventur.

Ita abundas amore : ut, cruciatuum exquisitissimorum oblitus, nîl nisi peccatorum cogites reconciliationem. O humanitatem incomparabilem ! ô misericordiam ineffabilem ! quàm blandis & amicis me, à crucis ara, oculis respectas ! Quis hominum desperet:

speret: cùm tàm sedulum, tàm fidelem, tàm diligentem, tàm ardentem habeamus intercesforem?

Ubi estis, trepidi peccatores? ubi perterrefactæ estis conscientiæ? gestitisne cor Domini vestri, gratiâ abundantissimum, videre?

Venite: & videte crucem ejus. Venite, venite! videte cor in lingvam ejus ascendens, & vestra deprecans delicta.

Jesu! Deus meus! Adsum & ego inter peccatores, inter crucifigentes: respice, & recipe me! Peccata, peccata mea acutissimi illi clavi fuere, qui manus pedesque tuos transfixerunt, & perterebrarunt: & ad crucem te adhamarunt. Miserere mei, Jesu! & apud Patrem tuum coelestem intercede pro me: hodiè, hac horâ, hoc momento, intercede pro me: ut mea mihi peccata condonet.

Ait secundò: *Amen dico tibi: hodiè mecum eris in Paradiso.*

Quàm

Quàm mitis, Domine! quàm humanus es, erga peccatores!

Delectatio tua inter filios hominum: in summis etiam, & inenarrabilibus tormentis. Suspensus inter par peccatorum nequissimum, brachium alteri alterum porrigis; quod apprehendat: quo attrahas ipsum; & colligas, veluti pullos, sub alas suas gallina.

Quàm jucunda tibi societas; si peccator sese tibi jungat! quàm ardentem, modò velint, eos excipis sanasq;!

Latro sinister, sinistrè de te sentiens, contumeliosissimè te & virulentissimè conviciatur; imò blasphematur: tuus itaque dolor, sudor, labor, guttæ sanguinis, torrens cruoris, preces, intercessio, nihil ipsi possunt commodare. Latro dexter, dextrè de te sentiens, fervidissimè te agnoscit, corde contrito & devoto (cùm manibus non posset,) te amplectitur: magnum quid te rogat, & impetrat maximum. Rogat benignam sui memoriam: & æternam impetrat lætitiā. O exemplum

138 CONTEMPLATIONES

plum veræ & miraculosæ pœnitentiæ!
 Quæ enim pœnitentia vera? quæ? nisi
 quæ dolet de peccatis: ea fatetur; &
 firmâ fide, ad liberatorem Christum
 Jesum, recurrit.

Miraculosa autem est: quia tûm de-
 mum Christus peccati expiatio agno-
 scitur; cûm anima ægerrima domicilii
 corporei desertionem meditatur, & re-
 demtor ipse ultimo & abominando
 afficitur supplicio.

O Christe! Domine & Deus me-
 us! da mihi peccata dolere, confi-
 teri, & eorum veniam abs te flagitare,
 meritumque tuum semper mecum
 volutare.

Da, hæc faciam cum latrone: non
 autem differam tui desiderium, ad ex-
 tremam vitæ periodum: ut multi pes-
 sime, latronis exemplo, perniciosissi-
 mam excusant procrastinationem.

Nē committe, eò duritiei perve-
 niam: ut nova conversi latronis salus
 me reddat securiorem: nec dicam:
 conscientia mea me non anget; vita
 mea me non turbabit: quia video la-
 troni

troni uno momento omnia esse peccata condonata.

Considera, ô anima mea! hospes comesque corporis mei! non latronis tantum concisam confessionem fidemque, sed devotionem etiam intimam, ac tempus luctuosum: quo ipsi Apostoli erraverant, & Doctorem suum deseruerant.

Deinde latronis imitare fidem atque zelum: & tunc demum ejus tibi salutem pollicere.

Jam hostis animarum implacabilis hanc tibi inducere securitatem conatur: ut, in fatali mortis hora, in exitum te infernale detrudat.

Impossibile dictu est: quot fallaci hujus spei umbrâ circumveniantur, & damnentur.

Semetipsum fallit, & damnationem suam ludos facit: quicumque, non nisi in vitæ termino, Dei querit misericordiam.

Abominabiles illi sunt Deo: qui eâ spe peccant; futurum, ut opportunè satis, in senectute, convertantur.

Latro,

140 CONTEMPLATIONES

Latro, qui hac occasione mortem Christi mirabiliter sibi imputabat, non suam distulerat poenitentiam: cum de doctrina Christi nunquam quicquam inaudivisset.

Hac igitur horæ hujus parte, hoc ictu oculi, me, fac, orare, & me ad te convertere: ne ego, salutem mihi securè promittens, à salute excidam.

Fac, conversus charitatis opera exhibeam proximo; & ipsius quoque currem conversionem & salutem: ut latro latronem, poenitens impoenitentem, monebat, & ad te adducere anitebatur.

Ah! Domine! memento jam mei, in regno tuo. Si solum meminisse mei dignatus fueris; si in me oculum tuæ benignitatis declinare volueris: id mihi satis erit; quia de tua potentia & sapientia certus sum, & de pietate & charitate confido.

Ah! tecum me esse patere in Paradiso: ubi beatitudo animæ, & beata Dei visio.

Non

Non poterit mihi benè esse sine te : nec, tecum, malè esse poterit.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI
XIX.

*De tertio & quarto Christi
Verbo, in cruce prolato.*

Quinam sunt isti, Domine ! Jesu
Christe ! qui non ad crucem tan-
tùm te secuti sunt ; sed sub cruce etiam
tua sistunt ? quinam sunt non atrocis-
simi tantùm supplicii tui spectatores ;
sed diræ etiam oculorum atq; animo-
rum torturæ expositi ? Deipara est :
Virginum corona est : Maria est : ma-
ter tua est. Johannes est ; consangvi-
neus tuus est : amicissimus tuus disci-
pulus est : qui in sinu recubuerat cœ-
nantis Magistri ; quem diligebat ani-
ma tua.

Horum

Horum animas gladius penetrat;
 horum oculos fudes fodiunt & aculei:
 cum te vident in cruce expansum, ar-
 tubus omnibus lacerum, cruentum,
 sanguine manantem. Docuisti me, in
 miseris hisce, & lacrymarum imbre
 colliquescentibus spectatoribus tuis,
charissimos tuos cruci esse
vicinissimos.

Quos omnium amas ar-
dentissime; illi cruci subji-
ciuntur omnium gravissime,
Et diutissime.

Non potest vera esse Ec-
 clesia, quæ misera esse non
 potest. Propinas ipsi cali-
 cem afflictionis: quem si re-
 spuat, aut ad eum nauseet;
Spuria est.

Similes tui esse debemus:
suffi-

*sufficiat nobis ; ut simus sicut
magister : supra magistrum
esse quicumque desiderat di-
scipulus ; superbus est, & ma-
gistro indignus.*

*Rubus ardens sumus, qui
uritur : sed non tamen com-
buritur.*

*Civitas obsessa sumus,
quæ oppugnatur : sed non ta-
men expugnatur.*

*Luna sumus, sub eclipsi
laborans : sed non planè de-
sinens.*

*Arca Noë sumus, diluvio
exposita : sed non planè sub-
mersa.*

*Mulier sumus parturiens,
quam*

quam persequitur draco: sed tamen non interficit.

Lilium sumus, inter spinas: sed non tamen exarescimus.

Non poterant, Domine! dolores sævisissimi tantoq̃ erè te affligere, & excruciare: quin curam haberes tuorum; quin alloquereris & discipulum, & matrem.

Tertium enim in cruce Verbum, ad eos, à te proferebatur: *ecce Filius tuus! ecce Mater tua!*

Videor mihi, Domine! introspicere in viscera tua, in intima cogitationum tuarum.

Gemis: circumdederunt me dolores mortis: sed non minùs lancinat & disrumpit animam meam gladius ille, qui tuam, Mater dulcissima! animam, cum cruciatu ineffabili, pertransit.

Intueor

Intueor & te, juvenis amantissime! amicorum intime! discipule suavissime! Intueor gemitus tuos, & suspiria tua: quod eum amittas, in quo omnem spem, omnem fiduciam collocasti.

Quod igitur jam licet, utrique vestrum jam, desertus ego ab omnibus, fero adminiculum: *tu, Mater! ecce alium tibi Filium! tu, discipule! aliud tibi adjutorium!*

O piissime Jesu! ô Salvator fidelissime! ô adjutor misericordissime! Quot mœstas viduas etiamnum solaris? quot pauperculos orphanos etiamnum sustentas? quot afflictos etiamnum curas?

Sum & ego omni viduatus solatio, omni orbatus sustentaculo, omni privatus curâ & auxilio. Magnæ sunt animæ meæ angustiae: magna mea afflictio, magni mei dolores. Solare me, sustenta me, cura me!

G

O omni-

O omnipotens mœstorum conso-
latio, laborantium fortitudo! perve-
niant ad te gemitus mei, de quacun-
que tribulatione: ut, in necessitatibus
meis, misericordiam tuam mihi gau-
deam adfuisse.

Audite porrò, quicunque aures ha-
betis ad audiendum, verbum quar-
tum! attende anima! attende spiritus!
attende, quæcunque in me es, devo-
tio! Sacerdos noster, in diebus carnis
suæ, preces supplicationesque ad eum,
qui possit eum saluum facere à morte,
cum clamore valido & lacrymis offert:

*Deus meus! Deus meus! ut
quid dereliquisti me!*

Dereliquit te Deus justus, & Pater
cœlestis, qui ab æterno genuit te, qui
voce cœlitùs auditâ testatus est de te:
*hic est Filius meus dilectus:
hunc audite.*

Dereliquit te: non propter te; sed
propter me. Ego enim, ego hos tibi
labores, & hos dolores, tibi peccatis
meis

meis creavi. Ego, ego eram derelin-
quendus: sed tu vices meas subiisti: tu,
qui loqueris justitiam, qui propugna-
tor es ad salvandum, torcular calcâsti
solus: & vir non fuit tecum.

Circumspexisti; & non fuit auxi-
liator: quæsiisti; & non fuit, qui ad-
juvaret. O derelictio! tibi quidem
gravissima; mihi verò jucundissima,
mihi beatissima!

*Non derelinques me, Deus
longanimis valde! in æter-
num: quia derelictus, pro
me, fuit Filius tuus.*

Ardentissimus animæ meæ ama-
tor, diligentissimus peccatorum salva-
tor, humanissimus hominum investi-
gator, obedientissimus Filius tuus pœ-
nam, quæ iniquitatibus meis, quas tan-
to perè averfari, debebatur, in se susce-
pit: peccatorum onus portavit; hor-
rorem mortis, terroremque inferni
sustinuit: & pro me liberalissimè sa-
tisfecit.

148 CONTEMPLATIONES

Ne igitur derelinquas me, Deus meus! ne recedas à me, Deus meus! in die exitus mei.

Si te tam copiosa Filii tui satisfactio, si te tam periculosa miseria mea ad misericordiam potest inclinare: adesto mihi misero peccatori: preces meas clemens exaudi, & in illa suprema hora mortis, mihi assiste: neq; reminiscere iniquitatum mearum: sed, o misericordiarum fons! magnâ tuâ mecum age misericordiâ.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XX.

*De quinto Christi Verbo, in
cruce prolato.*

Congregamini, congregamini, & audite! inquit Patriarcha Jacobus: cum pedes suos, ad ingredendam carnis universæ viam, extenderet, & in limine jam staret optatæ æternitatis.

Quod

Quòd si verò suprema hominis verba tanta fuere attentione accipienda: quæ requireretur attentio, quis fervor, quæ diligentia audiendis illius verbis supremis, qui & homo est, & Deus; qui Patriarchis omnibus superior, in quem Patriarchæ omnes speraverunt; quemq; toties intueri exoptaverunt!

Verba fuere septē. Numerus septenarius est numerus peculiaris: numerus sacer; & multis mysteriis adhibetur.

Est & hîc peculiaris: est sacer, est mysteriorum haud sterilis.

Cognovisti hoc partim, anima mea! cognosces partim deinceps.

Verbum Domini mei quartum est: *sitio*:

Ah! Domine! dissipatæ erant omnes vires tuæ; effluxerat, cum sanguinis torrente, omne robur tuum.

Etsi iniquitates non feceras; nec dolus erat in ore tuo: vir tamen dolorum eras, & despectus, & virorum novissimus. Siti itaqve ingenti torrebaris: at, ô Salvator & conservator ho-

G 3 minum!

150 CONTEMPLATIONES

minum! ab hominibus non poteras
potum impetrare. O crudelitatem
immanissimam!

Laborabat Dominus siti gravissi-
mâ, à principio crucifixionis, & ea si-
tis crescebat semper magis ac magis:
ita ut unum fuerit ex majoribus tor-
mentis, quæ Dominus in cruce pertu-
lit: siquidem emissio magnæ copię
fontis vitalis corpus exsiccat; & sitim
provocat. Dominus itaque, qui, post
longam defatigationem, multum san-
guinis, in flagellatione, fuderat, &
postea crucifixus, quatuor quasi fon-
tes, in corpore suo, patentes gerebat,
ex quibus ingens sanguinis copia lon-
go jam tempore fluxerat, quomodo
fieri potest, ut non siti ardentissimâ
crucietur?

Qui multis sunt affecti vulneribus,
ex quibus copiosus sanguis promanat,
nihil nisi potum desiderant: quasi ni-
hil, præter sitim, mali patiantur.

Sed qui misereatur, & frigidam sal-
tim offerat, quis adest? Qui simul con-
trista-

CHRISTIANI. 151
tristaretur; non fuit: qui consolaretur;
non est inventus.

In escam dederunt tibi, Jesu! Domine
coelestis! fel: & in siti tua pota-
verunt te aceto. *Vas*, inquit dile-
ctus tuus, *positum erat aceto*
plenum. Illi autem spongiam,
aceto plenam, byssopo cir-
cumponentes, obtulerunt ori
ejus.

O infandam truculentiam! Ut ab
initio, paulò ante crucifixionem, ob-
tulerunt vinum felle mistum; sic in exi-
tu vitæ acetum, noxium vulneribus,
obtulerunt: ut, à principio usque ad
finem, tota Christi passio vera fuerit
& continua passio, nullâ consolatio-
ne admixta.

Pro juvanté & jucundo potu, no-
centem & acerbum obtulerunt. O re-
frigerium absq; ulla refrigeratione! ô
consolationem luctuosissimam!

Cùm Philistinos occidisset Simson;

sitiebat vehementissimè: & Omnipotens molarem ei dentem in maxilla asini aperiebat; unde aquæ effluerent: tu, cùm hostes potentissimos, mundum, mortem, Satanam devicisses, itidem sitiebas maximè: sed aquæ non dantur; ac antitypus deterioris longè conditionis est, quàm typus, quem gesit victor Philistæorum.

Nobis, cheu! sitis debebatur æterna: nobis torridus ejusmodi æstus debebatur, qualis erat epulonis; qui, elevans oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu ejus; & clamans dixit: *pater Abraham! miserere mei*; & mitte Lazarum: ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam; quia crucior in hac flamma.

Sed tu, ô miserator noster! qui nostram avidissimè sitis salutem, tuâ sitim istam, & torridum ejusmodi æstum sustulisti; & tantum nobis es meritis: ut aliquando nec esuriamus, nec
sitia-

sitiamus ampliùs: nec cadat super nos sol, neque ullus æstus: quoniam tu ipse reges nos; & deduces nos ad vitæ fontes aquarum; & absterges omnem lacrymam ab oculis nostris.

Inebriabis nos ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ nos potabis.

O Domine! *quemadmodum desiderat cervus fontes aquarum: ita desiderat anima mea te. Sitiuit anima mea Deum, fontem vivum. Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?*

O Domine! quando miserationum tuarum dignè recordabor? deprædicabo laudem tuam, super omnibus, quæ reddidisti mihi, & super multitudine bonorum domus meæ, quæ largitus es mihi: secundum multitudinem miserationum tuarum?

G 5

CON-

154 CONTEMPLATIONES
CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXI.

*De sexto Christi Verbo, in
cruce prolato.*

OMnia utique & singula, Domi-
ne! toto pectore & omni lu-
bentiâ effecisti! quæ salutis nostræ re-
cuperandæ sciebas necessaria: unde
sextum fuit verbum tuum, non; con-
summabitur: ut in itinere Hierosoly-
mitano dicebas: *ecce ascendimus
Hierosolymam; & consum-
mabuntur omnia, quæ scri-
pta sunt: per Prophetas, de
Filio hominis. Tradetur enim
gentibus; & illudetur, &
flagellabitur, & conspuetur:
& postquam flagellaverint,*
occi-

occident eum : sed consummatum est.

Consummatum est, quicquid gens iniqua, quo cruciatus tibi posset exasperare, excogitare poterat.

Dicebas quidem & ante horam & potestatem tenebrarum, tempusque crucifixionis : *opus consumma-
vi, quod dedisti mihi, ut fa-
cerem* : sed opus illud erat aliud, opus nimirum prædicandi Evangelium : ut ipse mihi innuis, Domine ! cum addis : *manifestavi nomen tuum
hominibus.*

Hoc opus, quod jam dicis esse consummatum, est opus patiendi pro genere humano : opus bibendi calicem passionis, quem Pater tibi dederat.

Exhausti jam totum illum : ut nihil superfit ; nisi ut ex vita abeas.

Consummata est potestas, quæ dæmonibus apostatis, & impiorum coluviei, erat in te concessa.

156 CONTEMPLATIONES

Consummata est peregrinatio: quâ exiveras à Patre, & veneras in mundum: quâ, quasi colonus, in terra fuisti, & quasi viator.

Consummata est humanitatis mortalitas.

Consummatum est omne vaticinium; quod de vita tua & morte Prophetæ prædixerant.

Consummatum est sacrificium omnium sacrificiorum maximum: in quod omnia sacrificia fœderis veteris, tanquam figuræ & umbræ, intuebantur. *Unâ enim oblatione, consummasti in sempiternum sanctificatos: & finis es legis, ad justitiam omni credenti.*

Nunc, carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias bestiarum, unâ corporis & sanguinis tui imples oblatione.

Traxisti, Domine! omnia ad te:
quo

quoniam, scisso templi velo, sancta sanctorum ab indignis Pontificibus recesserant: ut figura in veritatem, Prophetia in manifestationem, & lex in Evangelium, verterentur.

O mundum! ô immaculatum sacrificium! cujus ara crux fuit: quæ quânto vilior fuit, antequam Christus eam subiret; tantò postea est facta illustrior & nobilior: cujus ignis, holocaustum cremans, sacrificiumq; perficiens, est charitas immensa, quasi fornax, vehementer accensa: quæ flagrabat in tuo, Jesu! corde: quam aquæ multæ passionum extinguere non poterant.

O Jesu: redemptio mea! misericordia mea! salus mea! te laudo, tibi gratias ago: quamvis valdè impares tuis beneficiis, quamvis multum expertes devotionis, quamvis macras à desiderata pingvedine dulcissimi tui affectus: tamen qualescunq; gratias, non quales scio me debere, sed, sicut potest conari, tibi persolvit anima mea.

Spes cordis mei! virtus animæ meæ! compleat tua potentissima dignitas,

G 7. quod

158 CONTEMPLATIONES

quod conatur mea tepidissima imbecillitas: ô vita mealtu finis es intentionis meæ!

Etsi nondum merui tantum, quantum debitor sum amare: utique saltem desidero te amare, quantum debeo.

O Jesu! semper inhæreat animæ meæ verbum hoc tuum: *consummatum est*. Cùm mihi, in agone mortis luctanti, peccatum & damnatio obversabuntur, & vitam meam, transgressionibus deformatâ, detestabuntur, dicam: *consummatum est, pro peccatis, sacrificium*. Tu enim agnus Dei es; qui tollis peccatum mundi.

Tu, non corruptibilibus auro vel argento, me redemisti; sed pretioso sanguine tuo, quasi agni immaculati & incontaminati.

Cùm lex me accusabit, & exiget supplicium; dicam: *consummatum est ejus implementum*. Ubi enim

enim venit plenitudo temporis ; misit
Deus Filium suum, factum sub lege ; ut
eos, qui sub lege erant, redimeret ; &
nos adoptionem filiorum acciperemus.

Cum mors me infestabit & terre-
bit ; dicam : *consummatum est
tuum dominium.* Devicta es à
Domino meo : qui potestate te exiit,
aculeo te spoliavit, venenum eripuit :
ut mors mihi mea sit jucunda requies,
magnum lucrum, dimissio in pace, a-
vocatio à malis, occultatio momenta-
nea : dum transeat ira ; & cœlorum
pateat janua.

Cum me hinc discesurum lugebunt
mei, & discesum deplorabunt, lectu-
lum gemitibus & fletu circumvallan-
tes ; dicam : *consummatum est
meum curriculum.* Tempus
præstitutum præterit ; periodus est
absoluta ; quam transilire non licet :
clepsydra est evacuata ; hora liberatio-
nis appropinquavit ; calamitas hinc mea
sistit ; & portus est in vicinia ; in quem
depor-

160 CONTEMPLATIONES
deportabor ; ubi lacryma omnis de-
tergebitur.

*Ecce ! relinquo vobis Con-
summatorem boni omnis , mi-
tigatorem & finitorem mali
omnis : hic vos , ad ipsum
confugientes , solabitur , ser-
vabit , tuebitur ; cui animam
meam , cui vos , anima mea
dilectos , eternum commendo.*

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXII.

*De septimo & ultimo Christi
Verbo , in cruce prolato.*

ET si , Domine Jesu Christe ! ma-
gna est humilitas , magna est ab-
jectio , magna est afflictio tua , ut vir
homo ,

homo, sed vermis esse videaris: tamen in septimo etiam & extremo, antequam exspirares, verbo tuo non homo tantum, sed & supra humanas vires positus videris. Altâ enim voce, spiritum tuum sanctissimum emisurus, exclamas: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

Ah! quàm luctuosum, quàm lamentabile, quàm funestum, quàm miserabile silentium! cùm luctuosus, lamentabilis, funestus & miserabilis homo animam jubetur suam efflare! Quàm taciturna, quàm lasca, quàm, ante mortem, mortua omnia: cùm feralis nos lectus sibi mancipat; cùm ultima solis umbra nobis diffugit; cùm furians mors telum acuit, quo pectus transverberet.

At tu, Domine! potentiam tuam etiam in morte testaris, non solum in extremo spiritu clamando, sed etiam terram concutiendo, lapides scindendo,

do, monumenta aperiendo, velum
templi dirumpendo.

Confessus inde ipse centurio, ho-
mo apud Ecclesiæ quidem membra
degens, sed extra Ecclesiam credens,
dixit: *Verè filius Dei erat iste.*

Verbum autem in mortalitate tua
ultimum diligenter notandum, & ac-
curatè pensitandum: *Pater! in
manus tuas commendo spiri-
tum meum.*

*Ultimum hoc fuit tuum:
ah! utinam ultimum esset
etiam meum! Et erit, Do-
mine! ita confido: & exau-
dietur, Domine! ita spero.
Hoc enim mihi obtinuisti:
quoniam in cruce & orâsti,
& pertulisti omnia, ut sum-
mus sacerdos; nec tuam tan-
tū*

tum animam Patri tuo commendasti, sed meam etiam, sed omnium fidelium, qui tui sunt corporis membra. Colligasti animam, cum tua, meam in fasciculum virventium; Et tradidisti in manus omnipotentis.

O quam penetrant animam & spiritum meum verba, quæ, ante viam mortiferam, effabaris, quibusque Patrem devotissime alloquebaris: ego pro eis rogo; non pro mundo rogo: sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt. Pater sancte! serva eos, in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum; sicut Et nos.

SERVA

Serva eos à mundo: sanctifica eos in veritate. Non pro his rogo tantum; sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum; sicut & nos unum sumus: ego in eis, & tu in me; ut sint consummati in unum: & cognoscat mundus; quia tu me misisti, & dilexisti eos: sicut & me dilexisti. Pater! quos dedisti
mibi,

mibi, volo, ut, ubi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi; quia dilexisti me, ante constitutionem mundi.

Quis pater filium, quæ mater natam, quis frater germanum commendare ulli posset arctius: quam tu, Fili Dei viventis! tuo nos Patri commendasti?

Audit Pater tuus degeneres nos filios suos, & adoptivos: quanto magis audiet obedientem te Filium usque ad mortem, & sobolem ex substantia sua genitam ab æterno? Imò jam audivit.

Numquid, ait ipse, ipse Pater tuus, oblivisci potest mulier infantem suum; ut filii uteri sui non misereatur? & si illa oblita fuerit; ego tamen non obli-

obliviscar tui: ecce in manibus meis descripsite.

Dicis & ipse tu, Christe Salvator! oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas; & sequuntur me. Et ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum: & non rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei.

His adamantinis tuis effatis innixus ego, turbabor quidem, mortem recordatus; sed tamen non perturbabor: quia promissionum, meritorum & interces-

tercessionum tuarum pariter recordabor.

Cùm, per mihi aliquando tuo, gravis artus morbus depopulabitur, & ex sanguinem semiputremq; cutem ambedet depascetqve; cùm gelido sudore facies liqvescet, & lethales me guttulæ humectabunt; cùm rubore suo liventia labella viduabuntur, ac è dentibus, horrido stridore fremiscentibus, murmur prorumpet tristissimum; cùm sol meus nebulis funereis noctescet, & meum mors caput diuturnis jam tenebris involvet: tu tamen, ô Sol justitiæ! me irradiabis: tu animæ luæ tanti &, virtute Spiritus tui, triumphanti suggeres verbum tuum:

Pater in manus tuas commendo spiritum meum!

CON-

168 CONTEMPLATIONES
CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXIII.

De latere Christi aperto.

A Des, anima mea! ades! Aspice
in cruce pendentem: ascende,
anima mea! ascende, & erue è mani-
bus pedibusque clavos, quibus stipiti
est affixus.

Non eges scalâ: devotio est, fides
est, quæ eò te elevat, & attollit.

O spectaculum miserabile! & ca-
daver lamentabile! quàm tetrâ, quàm
fœdis es modis dilaniatus. Non ani-
mum explere in vivente poterant:
mortuo etiam insultant, & lanceâ con-
fodiunt: unde sanguis & unda proflu-
xerunt, symbola duorum sacramento-
rum sanctissima.

*Quis est, Domine! qui
vincit mundum? nisi qui
credit,*

credit, quoniam Iesus est Filius Dei. Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, Iesus Christus: non in aqua solum; sed in aqua & sanguine.

Venis ad nos aqua, in Baptismo: venis ad nos sanguine, in coena coelesti.

Testimonium hoc est geminum: quod Patri tuo per te simus reconciliati, nosque à peccatis perpurgati & abluti.

Conspureatus quidem & scedatus es nimium: sed Patri tamen maxime es amabilis: quia obediens ei factus es ad mortem, & ad crucis quidem mortem. Mihi quoque maxime es amabilis: cum oculos non corporis cum Thoma, verum fidei, (qui sunt instrumenta vitae, perspicilla seculi futuri,) usque in latus tuum, & in tua vulnera immergo:

H

ubi

170 CONTEMPLATIONES

ubi video, morte Domini ac Dei mei,
à morte me liberari: ubi intropicio
in amorem immensum, amorem sine
modo, amorem sine fine, amorem,
sub quo intellectus deficit, præ quo
ratio caligat.

Ego enim peccavi, tu passus es:
imò ego, qui peccavi, in te passus sum.
Cum Deitate enim sic conjuncta caro
nostra; ut, cui pro peccatis in æter-
num erat moriendum, mortua sit in
alio pro nobis, nosque nec dolorem
fenserimus, nec mortem: tamen resti-
tuti sumus pariter in vitam. Sicut enim
Deus nostram induit in utero natu-
ram: ita mortem nostram obiit in li-
gno. Quicquid enim passus est Deus
homo: passus est pro homine: à quo
jam non magis potest separari, quam
ab altera natura; cum qua hanc con-
junxit, ut servaret.

O clementiam ingentem! ô cle-
mentiam ineffabilem! ô benignita-
tem nullis verbis, nullâ hominis ora-
tione, exprimendam!

Dominus, qui benedictus est in se-
cula,

cula, primò factus homo ; tandem factus execratio est pro homine.

O beatum diem ! quo draconis caput pedibus crucifixi & mortui conculcatur, Leviathan conteritur, Behemoth, immensum animal ac potens, evertitur, mors ejicitur !

O mitissimum tribunal, quo absolutus sum sine poena ; liberatus sine morte, sed à morte tamen : quo à sanguinibus meis, sanguine Regis supremi, sum dimissus !

Sanguine jam fuso, clarissimè video, quòd naturam meam in te transtuleris : ut, quam in me penitus corrueram, in hac ipsa, per te, innocentiam haberem. Divinam verò servasti ; ut haberem gloriam ac dignitatem : utramq; conjunxisti ; ut humanitati juncta Deitas, Deitati juncta humanitas, quæ calamitatem meam sensit, affectus meos induit, eum, quem horrebam tanquam judicem, uniret mihi in fratrem.

Quid dicam ? aut quo pacto dicam ? non enim in me consisto : cum de te

cogito; cū oculos ad te erigo; cū
latus, ferro patefactum, in tueor;
cū corculum amantissimum, sub eo
latens, contemplor?

Tu immensus, infinitus, non cir-
cumscriptus, expers passionis, expers
mortis, angustam, finitam, circum-
scriptam, passioni denique ac morti
obnoxiam hanc carnem, præ amore
nostri, induisti: quam per famem, per
sitim, per calamitates, per injurias, per
flagra, per sputa, per sanguinem, per
mortem, tractus, verberatus, exten-
sus, ac membratim divulsus, diabolo
spectante, cum Divinitate tua pariter
conjunctam, supra omnes angelos,
supra omnes creaturas, quæ in cælo
sunt & in terra, ad dexteram Dei Pa-
tris collocasti: ut, qui antè usque ad
inferos depressi eramus, nunc in ipsa,
per te, recenseamur Deitate.

*Ultinam semper in passio-
ne tua tanta requiescam; in
sacris vulneribus habitem.*

Qui

*Quicumq; enim ad vulne-
ra & pretiosa stigmata con-
fugit: magnam, in tribula-
tione, sentit confortationem;
& consolatione perfruitur,
quam unicè anima requirit.*

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI
XXIV.

De Christi Sepultura.

FInis ergò tandem datur laborum:
& peracto ac perfecto redemptio-
nis opere, ac soluto lytro sufficientis-
simo, sepulcrum corpus malè habi-
tum accipit tegitqve. Fidelis nempè
Deus est, Christe, Deus meus! qui la-
borum, tentationum, dolorum, angu-
stiarum, persecutionum statuit termi-
num opportunum.

H 3

Pro-

Propter peccata mea mortuus es, & post mortem, sepeliris: at ut, propter iustitiam meam, ex sepulcro resurgas.

Antequam dies parasceves tota esset elapsa; de cruce deportaris: acceleret & nostrum Pater tuus, ex hac parasceve, & ad cœleste iter præparatione, abitum: ut citiùs ad te perducamur, & sabbatum ex sabbato celebremus.

Non erat contumelia, quoniam oneratus eam in cruce fuisses; non erat ignominia, quoniam corpus tuum eam esset de honestatum: at abstergere hæc non potuere viros in Judæo populo præcipuos, Nicodemum, quem nocturno erudieras colloquio, & discipulum lueratus eras occultum; ac Josephum Arimathæum, Senatorem, locupletem, bonum, pium.

Perpenderas in ligno inter latrones; aufugerant tui comites electi; exclamaverat tota recutitorum colluvies: crucifige! crucifige! tolle! tolle! Pilatus morti te addixerat, & cruciarium æstimaverat: nihil tamen pertimescen-

mescentes illi, per medium perversorum agmen perrumpunt; Pilatum adeunt compellantque ut cadaver infame (at cœleste depositum) ipsis largiatur, loco maximi muneris futurum.

Quo vos animi robore fuisse existimem? quis vos spiritus animavit? quæ fiducia excitavit, Nicodeme & Joseph! aureæ arboris pauculæ reliquæ? Non cogitabatis, vos Christi, quem seductorem & pacis publicæ turbatorem vociferabantur, complices habendos, Senatu deturbandos, à Pilato increpandos, à populo lapidandos? Sed accensus in vobis erat fidei ignis: qui intra præcordia se continere nescius undiquaq; prælucebat.

O miram Dei in fidelibus suis virtutem! ô imperscrutabiles ipsius operationes! Audierant publicè discipuli crucifixum, ultra triennium; nutriti & edocti ab eo fuerant liberaliter & diligenter: sed, increbescantibus tantis discriminibus, Doctorem deserunt.

Clàm accesserant Christum Nicodemus

demus & Iosephus, metuentes, ne populi odium in se concitarent: jam ubi omnia videntur desperata; quem coluerint, quem audierint, quem venerati fuerint, quem ament etiamnum honorentq; , non diffitentur.

Quanta virtus tua in infirmis! quanta perfectio tua in imperfectis!

Me quoque utinam nemo separet à charitate Christi! nec afflictio, nec angustia, nec persecutio, nec fames, nec nuditas, nec periculum, nec gladius! Sed persuasum mihi est: neque mortem, neque vitam, neque Angelos, neque principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque sublimitatem, neque profunditatem, neque ullam rem aliam creatam, posse me separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu, Domino meo.

Involvunt seduli te illi cultores tui linteo mundo; condiunt myrrhâ atque aloë: utinam acerbissimâ me contritione humiliem, &, à peccatis purgatus, mundo te corde suscipiam!

Condunt ponuntq; in sepulchro
novo,

novo, in quod repositus non fuerat
alius: utinam in cor meum, Spiritu
sancto tuo renovatum, nemo unquam,
nisi tu, ingrediatur! Multa libentes, tuâ
causâ, impendunt; nec parcere sumti-
bus præsumunt: impendam & ego,
pro te, sanguinem vitamque: etiam pro
tuis; quæcunque, præter sanguinem,
in hac vita mihi suppeditasti!

Cum animam meam ab hoc hujus
stercoris utre avocabis: nihil cogitem;
nisi mortem tuam, nisi sanguinem tuum,
nisi vulnera tua, nisi coronam tuam!
Cum sepulchrum horruero: ne cogi-
tem in alio me sepulchro recondi,
quàm in eo: quod tuo tu corpore at-
tigisti, quod tuis tu stigmatibus san-
ctificasti: ut jussu tuo mihi, resurrectu-
ro tecum, vivere liceat!

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXV.

De Christi Resurrectione.

H s

Confi-

Confitemini Domino, & invocate nomen ejus: annunciate inter gentes opera ejus. Cantate ei, & psallite ei: narrate omnia mirabilia ejus. Mementote mirabilium ejus, quæ fecit; recolite prodigia ejus, & judicia oris ejus.

Qvis loqvetur potentias Domini?
qvis auditas faciet omnes laudes ejus?

Benedic, anima mea! Domino:
Domine! Deus meus! magnificatus es vehementer. Confessionem & decorem induisti; amictus lumine, sicut vestimento.

Fuit in squalidissimas carceris tenebras detrusus Josephus; at anno tertio inde protractus, & magnus totius Ægypti constitutus dominator: missus in terræ cavernas Jesus Christus; sed die tertio inde redivivus prodiit, factus cœli & terræ gubernator.

Moses, fiscellæ scirpeæ inclusus, in carecto ripæ fluminis fuit expositus; sed mox inde extractus, & populi Israëlitiçi factus dux & liberator: inclusus
fuit

fuit tumultu Jesus Christus; sed inde opportunè exsuscitatus, & omnis populi declaratus Salvator. Arsit in deserto rubus; sed igne non absumebatur: arsit in cruce Jesus Christus, & flammis iræ Divinæ, ac invasionū diabolicarum, fuit obnoxius; sed exstinctus est ignis iste: & radii gratiæ paternæ jam resplendescunt.

Arefiebat virga Aaronis; sed reflorescebat: exarescebant omnia Jesu Christi, in passione, ossa; sed novus illis è sepulchro vigor redit.

Josua adductos ad se Reges quinque, pedibus suis conculcavit, & super quinque stipites suspendit: Jesus Christus quinque hostes nostros, mundum, Satanam, peccatum, mortem, infernum, prostravit, & spolia amplissima reportavit, trophæaq; statuit splendidissima.

Samson in Gaza fuit captus; sed portas civitatis evulsit, & evasit: Jesus Christus à morte fuit tentus; sed nō retentus; sed devictâ morte triumphavit.

Goliathum, Philistæorum ducem,

H 6

David

David fundâ fudit: Jesus Christus Ca-
codæmonem, malignorum antesigna-
num & ductorem, fuso suo sanguine
stravit, & superavit.

Salve, triumphator inclute! salve,
dux insuperabilis! salve, victor invi-
ctissime!

Surge, propera, anima mea: & ve-
ni. Jam hiems transiit, imber abiit, &
recescit: flores apparuerunt in terra
nostra; tempus putationis advenit: vox
turturis audita est in terra nostra: ficus
protulit groslos suos; vineæ floren-
tes dederunt odorem. Surge, propera,
anima mea! & veni.

Tempus est non desidendi, sed ac-
currendi; tempus est non dormiendi,
sed vigilandi; tempus est non lacry-
mandi, sed exultandi: tempus est non
querendi, sed lætandi. Satis est indul-
tum mœrori; satis est effusum lacry-
marum: abeat tristitia; redeat lætitia:
abiit hora passionis; adiit hora resur-
rectionis.

Diffugere debet omnis angustia;
cùm Angeli auditur vox nuncia: eva-
nescere

nescere debet omne cordolium; cū percipitur Evangelium: resurrexit.

Resurrexit, qvem prodiderat amicus; qvem discipulorum deseruerat chorus: qvem abnegârat Petrus; qvem tradiderant sacerdotes; qvem percusserant lictores; qvem irriserant Pontifices; qvem condemnârant iudices; qvem occiderant carnifices; qvem confoderant milites.

Qvem dira peccatorum nostrorum onera oppresferant; qvem ira, peccatis nostris debita, contuderat: is resurrexit. Resurrexit Dominus & Deus noster! resurrexit frater noster: qui suâ sepulturâ omnes iniquitates nostras sepelivit; & suâ resurrectione, liberationem & salutem nobis produxit!

Confitemini Domino, & invocate nomen ejus: annunciate inter gentes opera ejus. Cantate ei, & psallite ei: narrate omnia mirabilia ejus. Hæc est dies, quâ cecidit, quicquid caput contra Dominum erexit: ipse enim Dominus, postquam de torrente in via bibit,

bit, suum exaltavit caput; & hostium suorum capita conquassavit.

Hæc est dies, quâ infernus est dirutus; regnum Satanæ abominabile expugnatum; diabolus ligatus; draco antiquus spoliatus; mors exauctorata; gens misera Christianorum liberata.

Mementote mirabilium Domini, quæ fecit; recolite prodigia ejus & judicia oris ejus.

Qvis loquatur potentias Domini: quis auditas faciet omnes laudes ejus?

Hæc est dies, quâ insidiæ serpentis Paradisiaci, quas struxit semini mulieris; evanuerunt, & caput serpentinum disiliit, inimiciæque, inter genus humanum & genimina serpentis, in ætænum eruperunt maximè.

Hæc est dies, quâ è somno evigilavit Adam secundus de cælo: & dilectam suam unicam ad se recepit, sibiq; desponsavit.

Benedic anima mea Domino! Domine! Deus meus! magnificatus es vehementer. Confessionem & decorem induisti, amictus lumine, sicut vestimento.

Latare

Lætare in Domino, anima mea!
Solennitas omnium solennitatum esse
debet ista, in qua Christus Dominus,
virtute Divinâ, à mortuis resurrexit;
qui antea, ut vilis latro, tractus fuit.

Melior est iste dies, quàm ille, in
quo mundus primum enituit. Ille e-
nim hominibus, ad laborem, creatus
est: hic ad quietem factus est. Ille
mortem meruit: hic formidinem mor-
tis evasit. Illius diei lux tenebris sepe-
litur: hujus diei splendor etiam sepul-
turas illuminat. Denique illius diei
lucem mortui non vident; hujus diei
lumen etiam mortuis emicuit. Læte-
mur ergo in hoc die: qui vivos cir-
cumfulget; & mortuos vivificat; &
victuros illuminat.

Exultet universus mundus. Par ete-
nim est, ut, sicut omnis creatura lugu-
bri doluit ploratu, in morte creatoris
sui; & funere noctis obscuro prosecu-
ta est exequias in cruce morientis: ita
nunc triumphalem ab inferis reditum
lata suscipiat resurgentis.

Sed & tu, animula mea! ex somno
pecca-

peccatorum evigila: ne iterum crucifigas resuscitatum.

Surge, si dormis; & exurge à mortuis.

Cùm Dominus de tabernaculo surgeret; castra movebantur, & omnis sequebatur populus: surgit hodiè Dominus vitæ & mortis, è tumulo: stertendum tibi non est; sed fervidâ devotione seqvendum. Expurgandum est vetus fermentum, fermentum malitiæ & nequitiae: vescendum est azymis sinceritatis & veritatis.

Volo, Domine! Deus meus! sed non valeo: tu qui dedisti, ut odio prosequar viam carnis & studia seculi, da, nunquam istam ingrediar, aut his decipiar.

*Jesu Domine! Jesu pie! Jesu bone! si tu volueris, ego valuero: nam velle tuum est
valere*

*valere meum. Velis ergo, ut
valeam: velis, ut perficiam
opus bonum.* Qui mori dignatus
es propter peccata nostra, & resurre-
xisti propter justificationem nostri:
rogo te, per gloriosam resurrectio-
nem tuam; resuscita me de sepulchro
vitiorum & peccatorum meorum o-
mnium; & da mihi quotidiè partem
in resurrectione prima: ut in resurre-
ctione tua merear veraciter percipere
portionem. Dulcissime! benignissi-
me! amantissime! charissime! pretio-
sissime! desideratissime! amabilissi-
me! pulcherrime! ascendisti in cœlum
cum triumpho gloriæ tuæ; & sedes ad
dexteram Patris, Rex potentissime!
trahe me sursum ad te; ut curram post
te in odorem unguentorum tuorum:
curram & non deficiam, te ducente
me currentem.

Trahe os sitientis te animæ, in su-
perna fluentia æternæ satietatis: imò
trahe me ad te, fontem vivum: ut inde,
pro

186 CONTEMPLATIONES
pro captu meo, bibam, unde semper
vivam, Deus meus! vita mea!

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXVI.

De Christi Ascensione.

OMnes gentes plaudite
manibus: jubilate Deo
in voce exultationis. Quo-
niam Dominus excelsus, ter-
ribilis, Rex magnus super o-
mnem terram. Subjecit po-
pulos nobis, gentes sub pedi-
bus nostris. Elegit nos hære-
ditatem suam, magnificen-
tiam Jacob, quem dilexit.
Ascen-

Ascendit Deus in iubilo, Dominus in voce tubæ. Psallite Deo nostro: psallite: psallite regi nostro: psallite: quoniam Rex omnis terræ Deus; psallite sapienter. Regnavit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam. Principes populorum congregati sunt, cum populo Dei Abraham: quoniam Deus à protectoribus terræ vehementer elevatus est.

Hæc erat, animula! Judæorum fidelium, in veteri Testamento, vox & cantio; quâ Mesfiæ, quem in fide & Spiritu adventare videbant, gratulabantur, & sese invicem adhortabantur, ut ipsi, in maiestatem suam exaltato, psallerent, & in eo confiderent.

Dicas

188 CONTEMPLATIONES

Dicas & tu: Jò! plaudite manibus;
jubilare Deo in voce exultationis.

Quod illi deprædicârunt in spe: tu
deprædices in re.

Ascendit enim Christus, Dei æter-
ni propago æterna, & hominis Fîlius
temporarii in tempore.

Pfalle, anima! magno Deo, & Sal-
vatori tuo; Pacifico, vero principipa-
cis, imperatori cœli & terræ, Regi re-
gnum, Domino dominantium.

Laudant Angeli Majestatem ejus;
adorant Dominationes: tremunt Ma-
jestates; cœli cœlorumq; virtutes, ac
beati Seraphim sociâ celebrant exul-
tatione: exclames & tu: Mesſiæ meo
vita & victoria; benedictio & honor,
& gloria, & potestas in seculorum se-
cula! Feroces isti animi, nec morte,
nec cruciatu, nec cruce fatiati, bellum
etiam gerebant in mortuum, & atten-
tissimè quidem observabant omnia:
ne quis corpus è tumultu surriperet.
Redit tamen ille, redit victor, gloriæ
suæ splendore, quasi purissimis vesti-
bus, amictus; redit, & ad altiora pro-
perat;

perat; ad altissima cœlorum evolat, innumeris Angelorum beatorumq; civium choris septus: quorum alii (opinor) triumphos canunt victori; alii gaudio tripudiant; alii palmas & lauros præferunt; alii jucundissimam cœlestium florum messem plenis manibus dispergunt.

Ubi jam oris pallor? ubi illita sputorum sceditas? ubi concretus sanguis? ubi spinarum vestigia? ubi liventes humeri? ubi manantes cruoris rivi? ubi flagellis artus concisi? Tàm brevi momento tanta ignominia fuligo deterfa est: & gloria fulgor occupavit omnia. Nunc frons est serena; nunc illustres oculi, nunc ad gratiam rubescens genæ, nunc os purpureum; nunc colucet & vibrat auro cæsaries: ad summum totus est quasi sol è nube prorumpens.

Ubi jam est, Domine! abjectio tua; postquam cœlos penetrasti, & super omnes cœlos ascendisti? postquam cœlis es factus excelsior, & domum subiisti Patris tui, in qua mansiones multæ.

Ubi

190 CONTEMPLATIONES

Ubi despicientia? postquam cœli tibi cesſit excellentia, tuqve dominaris ubiqve de mari ad mare, & ad fines terræ, usqve ad finem seculorum: & imples omnia.

Imples omnia, Domine! nobis igitur es præsentsissimus. Et quamvis aliquando à nobis videaris discessisse: tamen, si oculos nobis aperire volueris, circa nos, & in nobis, te inveniemus.

Es præsentsissimus: peccata ergo me ne coinquinent; cùm & offendant te, eorum causâ flagellatum, crucifixum & interfectum; & me condemnent, te offendentem.

Mundus es, & cum mundis corde habitas: qui fœtore peccati animam prægravant suam, te animæ hospitem expellunt.

Es præsentsissimus: quicquid igitur mihi eveniat; quo me cunqve modo diabolus arietet; quâ me cunqve ratione affligat mundus; caro tentet: tu tamen vides, & me liberare potes gaudesqve.

Cùm in monte Oliveti abitum ad
regna

regna tua coelestia plenariè capes-
da parares; palmis ad sidera sublati,
discipulis tuis benedicebas: sum & e-
go tuus discipulus; tuam igitur bene-
dictionem mihi non subtrahes: sed fa-
cies; ut tua sit mihi ascensio munerum
multifariorum descensio.

Descendant tua charismata: ut,
quemadmodum tu ascendisti corpo-
re, ita ego ascendam pectore; curram
ad te, non passibus corporis, sed desi-
derii. Illuc seqvar corde, quò te ascen-
disse credo corpore, desideria terrena
fugiens.

Nihil me jam oblectet in infimis:
qui te habeo in coelis. Ascendam af-
fectu: ascendam profectu: ascendam
effectu. Affectu ascendam; si sapi-
am coelestia: profectu ascendam; si
in ministerio tuo quotidie proficiam:
effectu ascendam; si sim, ubi tu es, in
coelestibus.

Et impetraturum me hoc facile,
confido. Tu enim ascendisti ad Pa-
trem: ut pro me interpellares. Sum-
mus sacerdos cum sanctum sancto-
rum

192 CONTEMPLATIONES
rum ingrederetur, populum expia-
bat: tu es ingressus sanctuarium bea-
tæ immortalitatis; sanctuarium non
manu factum, sed ipsum cœlum: ap-
parebis ergo vultui Dei pro nobis.

Ascendisti, non depositâ in terris,
quam in terris assumferas & circumtu-
leras, humanitate: sed eam ita evexi-
sti; ut cœli faceres participem: quid
igitur trepidem, homo? quid me af-
fligam, homo? Securi estote, caro &
sanguis! possidetis & cœlum, & re-
gnum DEI, in Christo. Aut si neget
quis vos in Christo: neget & in cœlo
Christum.

In Christo homine est uniuscujus-
que nostrum caro, sanguis, & portio.
Ubi ergo portio mea regnat: regnare
me, credo: ubi dominatur sanguis
meus; me sentio dominari: ubi glo-
rificatur caro mea; me gloriosum esse
cognosco.

Vasisti tu, parare locum mihi; ut
tecum sim in amœnissima civitate: a-
peruisti viam; ut perveniam ad aman-
tissimam societatem: factus es perru-
ptor,

ptor; ut introëam in amplissimam felicitatem, in corporis æterna sanitate, in animarum summa puritate, in gloriæ & voluptatis Divinæ ubertate, in perpetua sanctorum familiaritate, genus, spem, sedem, gratiam & dignitatem in cœlis habiturus.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXVII.

*De Missione Spiritus
Sancti.*

Quanta & quàm ineffabilis hæc est pietas Redemptoris? Hominem portavit ad cœlum: & Deum misit ad terras.

Ecce iterum nova de supernis medicina mittitur! ecce iterum humana Divinis miscentur! Prædixisti, Deus meus! per ipsum, quem donasti, Spiritum tuum: *effundam aquas*
I super

*super sitientem, & fluenta
super aridam: effundam Spi-
ritum meum super semen tu-
um, benedictionem meam su-
per stirpem tuam. Effundam
Spiritu meum super omnem
carnem: & prophetabunt fi-
lii vestri. Spargam super vos
aquam mundam: & mun-
dabimini ab omnibus inqvi-
namentis vestris. Spiritum
meum dabo in medio vestri.*

*Impleta jam est, Deus meus! prae-
dictio tua, & effusi imbres charisma-
tum, & flumina benedictionum.*

*Venit illa communis expectata læ-
titia omnium iustorum.*

*Venit dulcis hospes ani-
ma, dulce refrigerium, in la-
bore*

bore requies, in aestu temperies, in fletu solatiū, lavans, quod est sordidum; rigans, quod est aridū; sanans, quod est saucium; flectens, quod est rigidum; fovens, quod est frigidum; regens, quod est devium.

Venit inspirator fidei, doctor scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, & totius causa virtutis.

Venit enim; cū duodecim essent ministri, & mysteriorum tuorum dispensatores, unanimiter congregati Hierosolymis, in domo à te selecta, in civitate sancta, in urbe perfecti decoris; & facto cœlitūs repentino sono, tanquam advenientis spiritus vehementis, visæ sunt illis lingvæ dispertitæ, tanquam ignis; seditq; supra singulos eorum: ut replerentur omnes Spiritu sancto, & variis loqui lingvis inciperent.

Congregati erant unanimiter : concordiam enim amat ille Spiritus, animosq; hominum unanimes ligat arctius: rixas & contentiones fugat ipse, & ab eis fugatur.

Congregati erant Hierosolymis. Locum amat sanctum: & ubi verbum tuum prædicatur; ibi gratiosè commoratur. Non est sine Spiritu hoc verbum, neque verbum tuum sine Spiritu.

Factus est sonus, ut ventus.

Non quiescit Spiritus sanctus; sed vox ejus auditur: non mutus est; sed loquitur, & peccatoribus annunciat redemptionem, miseris relevationem, tristibus exhilarationem, depressis erectionem, captivis educationem, ligatis solutionem, mortuis resurrectionem.

Fuit sonus cœlitus repentinus & vebemens. Non est Spiritus

Spiritus sanctus donum hominis; sed Dei omnipotentis: non affert caduca, sed perennia; non terrena, sed cœlestia. Subitum etiam est, & improvisum plerumq; Dei auxilium. Cùm de omni desperatum est remedio humano: manus subvenit Altissimi, & medetur opportunè. Alacris est Spiritus sanctus: & expeditos atq; promotos, quos movet, reddit. *Nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia.*

Vise sunt lingvæ disper- titæ, tanquam ignis. Lingvæ est organum Spiritus sancti: quo regnum spirituale præparat, & amplificat. Et quemadmodum lingua discernit sapores: ita Spiritus sanctus bonum docet à malo, & spiritus discernere. Donum insuper variarum confert linguarum: & linguarum diversitate dispersam hominum multitudinem colligit in unitatem.

I;

Igneus

Ignis tandem est Divini amor Numinis, mentes tenebris immerfas illuminat; animos charitate calefacit: bonis operibus reddit fulgentes, pravos affectus & actiones exurit.

○ delabere de coelo ignis saluberrime!

Nos, obscenis libidinum tædis, ardemus: ut terra non sedes hominum; sed Ætna videatur impudicarum flammarum. Nam sicut Ætna intestinis quibusdam naturæ ferventis ardoribus; sic illa abominandis jugiter fornicationum ignibus æstuat. Accendimus hoc pacto ignem furoris, igne pernicipiei, ignem Domini, ignem indignationis: qui egressus à Domino consumpsit Nadab & Abihu. Quàm graviter Propheta: *Ecce omnes ejus ignem accenditis, & vires præbetis flammæ: ingredi mini in lucem ignis vestri & flammæ, quam accendistis.*

Totum

Totum namque humanum genus hoc ordine in pœnam æternam ruit, quo scriptura memoravit. Primum enim accendit: postea vires ignibus præbet: postremò flammam ingreditur, quam paravit. Et primum quidem ignem sibi accendit æternum, cum primum peccare incipit. Vires ignibus præbet, cum peccata cumulat peccatis. Ignem introit æternum: quando irremediabilem jam malorum omnium summam, crescentium delictorum iniquitate, complevit: sicut Salvator noster ad Judæos principes ait: *implete mensuram patrum vestrorum: serpentes! progenies viperarum!*

O delabere de cœlo, Spiritus celestis, pluvia liberalissima! & exstingue ignis istius flammam execrabilem; ne igni me tradant intolerabili: quem nulla aqua, nulla ripa, nullus fluvius, nullum mare potest exstinguere.

Sordes undique adhærent: quis eluet?

eluet? cœno coinquinatus sum peccatorum: quis purgabit? vulnerata est anima, & impurata: quis sanabit, & extergit? aruerunt ossa: quis rigabit? Nonne tu elues? purgabis? sanabis? exterges? rigabis? Nunquam me repulsam pati passus es: an primum jam precationem meam repudiabis? Sed non denegabis, quod precor: quia iussisti me precari; & quia salutem meam, quam desideras, spectat, quia ad honorem tuum vergit.

O igitur me tuæ voluptatis torrente pota: ut nihil jam degustare libeat venenatæ dulcedinis mundanæ.

Tu mentis meæ sis lux & dux: tu, ut autor es omnis in me boni, ita sis auctor. A te enim humiliter dependeo.

In te credo, verum Deum: qui Patris es & Filii Spiritus, & à Patre & Filio ab æterno procedis, ac ad me mitteris in tempore.

In, & per te, sum, quicquid sum. Per te sum iustus: per te sum fortis: per te sum mansuetus: per te sum humilis: per te sum castus: per te sum patientis:

tiens: per te sum prudens: per te sum liberalis: per te sum frugalis.

O Paraclete! doce me facere voluntatem tuam: quia Deus meus es tu. Credo ergo, quòd, quemcunque inhabitaveris, Patris ac pariter Filii domicilium condis. Beatus, qui te habet hospitem! quoniam per te Pater & Filius, apud eum, faciunt mansionem.

CONTEMPLATIO- NUM ET SUSPIRIO- RUM HOMINIS CHRISTIANI

XXVIII.

De Mystério Trinitatis.

O Tres coæquales: & coæternæ personæ: Deus unus & verus: Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: qui solus habitas æternitatem, & lucem inaccessibilem. Qui fundâsti terram, in potentia tua, & regis orbem terræ, prudentiâ tuâ: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth! terribilis

ribilis & fortis, justus & misericors
 admirabilis, laudabilis, amabilis. U-
 nus Deus; tres personæ; una esſentia,
 potentia, ſapientia, bonitas: una & in-
 diſiſa Trinitas.

Benedicta ſemper ſit ſancta Trini-
 tas; Deitas una, coæqualis gloria.

Pater, Filius, ſanctus Spiritus, tria
 ſunt nomina: omnium eadem ſub-
 ſtantia. Deus genitor, Deus genitus,
 in utroq; ſacer Spiritus, Deitatis ſocius.
 Non tres tamen Dii ſunt; Deus verus
 unus eſt: ſic Pater Dominus, Filius
 Dominus, Spiritus ſanctus, Dominus.

Proprietas in perſonis, & unitas eſt
 in eſſentia.

Majeſtas par, & poteſtas: decus,
 honor, æqvè per omnia; ſidera, ma-
 ria, continens arva, ſimul & univerſa
 condita: quam tremunt impia Tarta-
 ra, quamq; colit abyſſus infima. Nunc
 omnis vox atqve lingua fateatur hanc,
 laude debitâ; quam laudat ſol, atqve lu-
 na, dignitas adorât angelica. Et nos
 voce præcelſâ omnes modulemur or-
 ganica cantica, dulci melodiâ. Eja &
 eja!

ēja! nunc simul jubilemus altithrono
Domino in excelsis.

O adoranda Trinitas! ô veneranda
unitas! Per te sumus creati, vera æter-
nitas! per te sumus redempti, summa
charitas! Populum cunctum tu pro-
tege: salva, libera, eripe & emunda.
Te adoramus, omnipotens! tibi cani-
mus: tibi laus & gloria, per infinita se-
culorum secula.

Verè enim dignum & justum est, æ-
quum & salutare, nos tibi semper &
ubique gratias agere, Domine! sancte
Pater! Deus omnipotens! qui cum u-
nigenito Filio tuo, & Spiritu sancto,
unus es Deus, unus es Dominus; non
in unius singularitate personæ: sed in
unius Trinitate substantiæ. Quod e-
nim de tua gloria, revelante te, credi-
mus: hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu
sancto, sine essentiæ differentia senti-
mus; ut in confessione veræ sempi-
ternæq; Deitatis, & in personis pro-
prietas, & in essentia unitas, & in Ma-
jestate adoretur æqualitas.

Non tantum est unus homo; quan-

204 CONTEMPLATIONES

tum tres homines simul; & plus aliquid sunt homines duo: quàm unus homo: at in Deo non est ita. Non enim major essentia est Pater & Filius simul, quàm solus Pater, vel solus Filius: sed tres simul illæ personæ æquales sunt singulis.

Multa percurrat consideratio unum: quòd eminentia hujus singularis unius fiat evidentior. Est unitas, quæ collectiva dici potest: cùm multi lapides faciunt unum acervum. Est & unitas constitutiva: cùm multa membra unum corpus; vel multæ partes unum quodcunque totum constituent. Est & conjugativa: quâ fit, ut duo jam non duo sint; sed una caro. Est & nativa: quâ anima & caro unus nascitur homo. Est unitas potestativa: quâ homo virtutis non instabilis, non dissimilis, sed unus sibi semper nititur inveniri. Est consentanea: cùm, per charitatem, multorum hominum est cor unum & anima una. Est votiva: cùm anima, votis omnibus adhærens Deo, unus spiritus est. Est
& di-

& dignitativa unitas; quâ limus noster, à Deo Verbo, in unam assumtus est personam. Verùm quid hæc omnia ad illud summum, atque, ut ita dicam, unicè unum: ubi unitatem consubstantialitas facit? Huic uni quodvis illorum si assimiles; erit aliquo modo unum: si compares: nullo. Igitur inter omnia, quæ rectè unum dicuntur; arcem tenet unitas Trinitatis: quâ tres personæ una substantia sunt.

Singula sunt in singulis, & omnia in singulis: & singula in omnibus, & omnia in omnibus, unum omnia.

Nullus horum alium aut præcedit æternitate; aut excedit magnitudine; aut superat potestate. Quod ibi magnum dicitur; aliunde magnum non est, quàm eo, quo verè est: quia ibi magnitudo ipsa veritas est, & veritas essentia. Non ergo ibi majus est, quod verius non est. Non est autem verius una persona, quàm alia: vel duæ; quàm una: vel tres simul; quàm singula. Non ergo plus veritatis habet una; quàm alia: vel duæ; quàm

una: vel tres simul; quàm singula. Sic ergò & ipsa Trinitas non est majus aliquid; quàm unaquæq; ibi persona: sed tam magnū; quàm singula.

Mira hæc sunt, & longè supra omnem creaturarum captum posita. Difficilimè igitur mens humana ascenditur illis arcanis, tam longè extra conspectum positis: & facilè animus incipit vagari speculationibus; nisi semper in conspectu sit doctrina sublimior, quæ mentes nostras intra justos terminos, ac limites à Deo præscriptos, revocet.

Doctrina ea Divina est. Non potest quisquam manum alterius apprehendere, sine manu; non potest solem intueri, sine sole: nec Divina quisquam percipere potest, sine adminiculo Divino; nec Deum cognoscere, sine Deo.

Adesto igitur, lumen verum! Pater omnipotens, Deus! Adesto lumen de lumine! Verbum! & Filius Dei! Deus omnipotens! Adesto sancte Spiritus! Patris & Filii concordia,
Deus

Deus omnipotens ! Adesto Deus unus omnipotens ! Pater ! Filius ! & Spiritus sanctus !

Hanc fidem in te, per te, de te, confitemur.

Te unum in substantia ; trinum in personis confitemur : Pater, Filius, & Spiritus sanctus ; ô beata Trinitas ! Deus, Dominus, Paracletus. Charitas, Gratia, Communicatio : Genitor, Genitus, Regenerans : Verum Lumen, ex Lumine : illuminatio : invisibilis visibiliter ; visibilis invisibiliter : Fons, flumen, irrigatio. A quo, per quem, in quo omnia. Vivens vita : vita à vivente ; vivificator viventium. Verax Pater, veritas Filius, veritatis Spiritus. Una essentia, una virtus, una bonitas. Deus, supra quem nihil ; extra quem nihil ; sine quo nihil. Deus, sub quo totum ; in quo totum ; cum quo totum.

Te invocamus, te adoramus, te laudamus.

*Doce fidem, excita spem,
infunde charitatem. Amen!*

CON-

208 CONTEMPLATIONES
CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXIX.

*De vitanda in rebus nobis
non revelatis scrupulositate.*

Quid affligeris, animula! si tumultuatur ratio, & in abyssum ineluctabilem immersa gemit, & vociferatur?

*Non ideo falsum quid est;
quod ego non capiam, aut intelligam: non est ratio rerum mensura, sed ad res illa sese tenetur applicare.*

Augusta est ratio: & rerum cœlestium immensitatem si capere non potest; cur miraris?

Quan-

Quantò simplicior est fides nostra, & vita fidei congruentior; etiam si neque disputemus omnia, neque intelligamus: tantò futuri sunt Ecclesiæ cives nobiliores, & Deo chariores; cui, omnibus relictis, esse charissimi velle debemus.

In compendio est, apud religiosas mentes & simplices: & errorem deponere, & eruerere veritatem.

Nam si ad Divinæ traditionis caput & originem revertamur; cesfat error humanus: &, sacramentorum celestium ratione perspectâ, quicquid sub caligine ac nube tenebrarum obscurum latebat, luce veritatis aperitur.

Si aquæ canalıs, qui copiosè priùs & largi-

largiter profluebat, subito deficiat; nonne ad fontem pergitur? ut illius defectionis ratio noscatur: utrum, decrefcentibus venis, in capite siccaverit? an verò integra inde & plena procurrens, in medio itinere, destiterit? At si, vitio interrupti aut bibuli canalibus, effectum est, quò minus aqua perseveranter continua ac jugiter flueret: refeito & confirmato canali, ad usum atque potum civitatis aqua collecta, eadem ubertate atque integritate, repræsentatur, quàm de fonte proficiscitur. Hoc & nunc nos facere oportet, præcepta Divina servantes: ut, in aliquo si nutaverit & vacillaverit veritas; ad originem Dominicam & Evangelicam, & Apostolicam traditionem, revertamur: & *inde surgat actus nostri ratio; unde & ordo & origo surrexit.*

Dum alii verisimilia mentiuntur: veritatem subtilitate frustrantur. Quod eo fit: quia ad veritatis originem non redi-

reditur; nec caput quæritur; nec magistri cœlestis doctrina servatur. Quasi si quis consideret atque examinet: tractatu longo, atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis, veritatis compendio.

Quomodo sanè Deus Pater genuerit Filium: nolo, homo! discutias, nec te curiosius inferas in profundi hujus arcanum: ne fortè, dum inaccessæ lucis fulgorem pertinaciùs perscrutaris, exiguum illum, qui mortalibus Divinæ munere concessus est, perdas aspectum. Aut, si putas, in hoc omni genere intendendum; priùs tibi propone, quæ nostra sunt: quæ si consequenter volueris expedire; tunc à terrestribus ad cœlestia, & à visibilibus ad invisibilia præpara te.

Expedi primò, si potes, & explana: quomodo mens, quæ in te est, generet verbum? & quis sit in ea memoriæ spiritus? quomodo hæc, cum diversa sint rebus & actibus, unum tamen sint substantiâ, vel naturâ? &, cum è mente procedant, nunquam tamen ab ipsa
sepa-

separentur? Sed hæc quamvis in nobis, & in animæ nostræ substantia, habeantur: tamen tantò nobis occultiora videntur; quantò & aspectu corporeo magis invisibilia.

De apertioribus requiramus.

Fons quomodo ex se generat fluvium? quo autem spiritu rapidum fertur fluentum? quod quidem cum unum & inseparabile sit, & fluvius & fons: tamen nec fons fluvius, nec fluvius fons intelligi, aut appellari potest. Et tamen qui viderit fluvium, videt & fontem.

Exerce te priùs, anima superstitiosè & frivole laboriosa, ac laboriosè nihil agens! in horum explanatione: & discute, si potes, quæ habentur in manibus: & tunc ad sublimiora his veniemus. Nec puta, quòd te statim de terra svadeam ascendere super cœlos: sed priùs te, si placet, ad istud firmamentum, quod oculis patet, educam: & ibi, si potes, naturam hujus visibilis luminis discute. Quomodo ignis iste cœlestis generet ex semetipso splendorem

dorem lucis? quomodo etiam producat vaporem? & cum sint tria in rebus, unum tamen sint in substantia. Etiam si hæc singula investigare potueris: scito adhuc Divinæ generationis mysterium tantò esse differentius & eminentius; quantò creator creaturis potentior; quantò artifex opere suo præstantior; quantò ille, qui semper est, eo, qui ex nihilo cœpit esse, nobilior.

Credendus est ergo Deus, Pater esse unici Filii, Domini nostri: non discutiendus. *Neque enim fas est servo, de natalibus Domini sui disputare.* Nihil, mi homo: deest ei, quem utriusq; Testamenti doctrina muniverit. Est utrumque illud geminus ille gladius, de quibus Doctor ait æternus: *sat est.*

Utinam, atq; iterum utinam, Deus meus longanimis! me ipsum cognoscam, & sciam.

Quòd si animæ meæ, quæ corporis mei obtinet principatum, nec originem

nem

nem scio, nec metior quantitatem,
 nec, qualis sit, intueri sufficio; si igno-
 ta est mihi ratio, quare ipsa delectetur
 corpore, persecutore suo? si nescio,
 quis hanc legem membris meis inscul-
 pserit; ut tam violentâ dominatione
 spiritum caro opprimat, & melior di-
 gniorque natura deteriori succumbat?
 patienter me ferre oportet: si opera-
 torem universitatis ego non intelligo;
 qui in minimis operationum suarum
 particulis, meam profiteri debeo cæ-
 citatem. In aliis quoque ne progre-
 diar ultrâ, quàm fert mensuræ meæ te-
 nuitas; neve curiosius, quæ supra me
 sunt, indagem. Dicam rationabiliter
 & satis constanter: *Nescio secre-*
tum: & consilium Divinita-
tis ignoro.

Sufficit mihi, ad causæ omnis pro-
 bationem, dicti cœlestis oraculum:
 Deus à se omnia, dicit, aspici, omnia
 regi, omnia judicari.

Si scire vis, quid tenendum sit? ha-
 bes

bes literas sacras. *Perfecta ratio est, hoc tenere, quod legeris.* Quâ causâ autem Deus hæc ita faciat? nolo à me requiri. *Homo sum: non intelligo secreta Dei; investigare non audeo; Et ideo etiam attentare formido: quia Et hoc ipsum genus quasi sacrilegæ temeritatis est; si plus scire cupias, quàm sinaris.* Sufficiat tibi: quod Deus, à se agi ac dispensari cuncta, testatur.

Relictis igitur his, potius quæramus, velut boni negotiatores, hæreditatem cœlestem possidere, & ea, quæ conducunt animæ nostræ. Discamus possidere bona, quæ sunt nobiscum permansura. Quæramus inprimis, sigillum Domini in nobis habere: quia, in die iudicii, factâ segregatione illâ à Deo, & congregatis Adæ omnibus tribu-

tribubus universæ terræ, quando pastor suum vocabit gregem: quicumque sigillum habuerint; cognoscent pastorem suum; & pastor sigillo insignitos cognoscet, & ex omnibus gentibus congregabit.

Omnis quidem *homo naturaliter scire desiderat*: sed scientia, sine timore Dei, quid importat?

Melior est profectò humilis rusticus, qui Deo servit; quàm superbus Theologus aut Philosophus, qui, se neglecto, Deum aut cursum cæli, considerat.

Quàm multi Deum, in hac vita, multis cognoscere disquisitionibus studuerunt; qui ipsum videbunt nunquã! quàm multi cælum in hac vita

*vitā emetiri, & perscrutari
contenderunt; qui ipsum in-
trabunt nunquam.*

Qui benè se ipsum cognoscit: sibi
ipsi vilescit, nec laudibus delectatur
humanis. Si scirem omnia, quæ in
mundo sunt; & non essem in charita-
te: quid coram Deo me juvaret; qui
tunc ex facto me est judicaturus?

Tandem ergò à nimio sciendi desi-
derio quiescam: quia, *quantò plus
scio, tantò graviùs, me inde,
Deus meus altissime! nisi san-
ctiùs vixero, judicabis.*

*Da mihi, ô Beatissime! ô
Sapientissime! altissimam
& utilissimam eam scientiã:
ut te Deum, Patrem, Filium,
Spiritus sanctum, modicè,
& me misellum hic intimè*

K

cogno-

*cognoscam : mihi ipsi nihil
tribuam, & de aliis semper
benè sentiam.*

Magna hæc sapientia, & aliqualis
perfectio.

*Etiam si videro alium a-
pertè peccare, vel gravia
quædam perpetrare; ne ta-
men me æstimem meliorem:
quia nescio, quàm diu in bo-
no stare possim.*

Omnes quidem sumus fragiles: sed
neminem, fac, ego iudicem me ipso
fragiliorem: ut veram consequar in
bonitate firmitatem.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI
XXX.

De custodia Angelorum.

Benedic,

Benedic, anima mea! Jehovah, & omnia viscera mea nomini sanctitatis ejus. Benedic, anima mea! Jehovah; & ne obliviscere ullius beneficiorum ejus. Benedicite Jehovah, Angeli ejus! valentissimi robore, efficientes verbum ejus, auscultantes voci verbi ejus. Benedicite Jehovah, omnes exercitus ejus! ministri ejus, facientes placitum ejus! Benedicite Jehovah, omnia opera ejus! in omnibus locis dominationis ejus: benedic, anima mea! Jehovah. Paratum sit cor meum, Deus meus! paratum sit cor meum!

Angelis suis mandavit de te; inquit Fidelis tuus ad hominem, ut conservent te in omnibus viis tuis: ambabus palmis sustineant te: ne offendas ad lapidem pedem tuum.

Magna dilectio charitatis! quis, quibus, de quo, & quid mandavit? Deus mandavit; Deus, vera & summa

vita, in quo, & à quo sunt omnia: mundi rector & autor; Angelorum sapor & decor; hominum creator & servator; Deus ille, qui est Deus Deorum, Deus tantus, quem nulla potest lingua rectè profari.

Hic mandavit: & Angelis suis mandavit; Angelis sanctis, doctis de Deo: cuius veritatis æternâ contemplatione beati sunt: de te homine mandavit.

Quid est homo; quòd innotuisti ei? aut filius hominis, quòd reputas eum? Mittis ei Unigenitum tuum; immittis Spiritum sanctum: & ne quid vacet, in cœlestibus, ab opere sollicitudinis; illos etiam beatos spiritus, propter nos, mittis, in ministerium nostrum. Mittit mitissimos illos spiritus; qui magnæ illius mentis purissimæ quædam sunt scintillæ, de sempiterni luminis facibus accensæ: qui tantus est, & in tot ordines divisus exercitus, ut non tam orationis, quàm admirationis suggerant materiam.

Hæc cum dico, animula! noli tibi fingere pusiones formosulos, quibus
vul-

vultus admirabili fulgore circumfusus, crines, in cervicem molliter effusi, auro obryzo flavescent, & lactei colli nitorem, blandissimo Favoniorum spiritu ventilati, percurrant. Tales si Angelos cogitas; totam vim ignoras Angelorum. Natura illis pura est, subtilis, ætherea: quam nulla corporis figura delineat, nulla materiæ labes infuscat, nullus corruptionis nævus aspergit. Nihil est Angelus, præter animum. At quis est animus? non ex coigne delibatus, quo sidera volant, & sacri torquentur axes: sed excitatissimæ mentis vigor, tantò expressiùs ad æternæ pulchritudinis exemplar conformatus; quantò de ejus fonte propiùs respergitur & uberius. Hinc est ille omnium ornamentorum insignis quidam decor, & bonorum immortalis affluentia: quam in conditorum suum, gratisimâ voluntatis ingenuitate, refundunt. Celeritate navim, per immensa patentis æqvoris spatia, remis velisque concitatisimè fluentem, antevertunt; telorum è ba-

222 CONTEMPLATIONES

listis omisſas grandines præcurrunt. Præſtantiffimâ mentis intelligentiâ res omnes nullo negotio, nullo temporis intervallo, ſagaciſſimè pervident; & impeditos quosque difficultatum nodos explicatiſſimè diſſolvunt. Gratiâ ſi conſideres, quâ à teneris rerum primordiis ſunt nobilitati; cùm rerum molitor Deus erat in Angelis, condens naturam, & largiens gratiam: vaſa myrrhea dices, aut cryſtallina, ab ipſo univerſitatis artifice comparata: in quæ Divinitatis rivi, tanta & tam inuſitata donorum fragrantia, depluerent. Si gloriâ penſites; quæ gratiarum amplitudinem eſt conſecuta: totos in Deum videbis amoris ſimilitudine tranſuſos atque abſorptos. Hi, hi ſunt, quos ſummus ille opifex nobis homulis, ex luto & argilla fictis, adiunxit, in hoc terrarum domicilio, duces, aliores, pædagogos, noſtræ ſalutis propugnatores, depulſores miſeriarum, auſpices felicitatis; auctoritate patres, amore germanos, obſequio ſervos.

Hi,

Hi, hi adfunt tibi, animula! non modò, tecum; sed etiam pro te adfunt; ut protegant: adfunt; ut profint: & dum adhuc parvuli sumus, Angelis, velut tutoribus & actoribus, committimur usque ad tempus à Patre præfinitum.

Obruis me, Deus meus! beneficiis: ut, apud te, commorari gaudeam; propter te, habitare desiderem; nec unquam recedam. Vallas me custodia; ne aufugiam: circumdas protectoribus; ne abripiar. Erecto animo meo, ô Deus! canam & psallam: ô gloria mea! Evigila, nablum, & cithara! expergiscar inde ab aurora. Celebrabo te in populis, Jehovah! & psallam tibi in nationibus. Magna enim supra cœlos benignitas tua: & ad superiores usque nubes veritas tua. Exaltare supra cœlos, ô Deus! & super totam terram gloria tua. Agere possum, referre non possum, gratias, Deus meus! Sed nec desideras remunerandi vicem: si nulla mihi suppetit restituendi facultas. Privatorum ista

224 CONTEMPLATIONES

copia est; inter se esse munificos: tua beneficia, ut maiestate præcellunt, ita mutuum non repossunt.

O Deus benignissime! ut gratis mihi Angelos addidisti: ita gratis eos apud me fac commorari, habitare, & manere.

Jacobo in vita ad patriam obviabant Machanajim, & turmæ alituum sacrorum: ambulo & ego in via, & festino ad patriam. Da ergo & mihi phalanges militum istorum fortissimorum: qui regant; qui moneant; qui gubernent: qui & à fronte, & à tergo, custodiant: nec lateris alterutrius partes relinquant incustoditas.

O Deus! ô Pater! ablega ministros illos tuos, ex arce cœlorum fulgidissima, ad nos, in lacrymabili hac ærumnosæ mortalitatis taberna vacillantes creaturas: qui nos circumcingant metuentes; formidantes consolentur; & calamitates ingruentes ac prementes averruncant.

Depascent & prosternant nos morbi; infestet nos pestis: mitte Raphaëlem;

lem; qui sanet & medeatur. Bello-
rum nos rumores exaniment; districti
nos enses trucident: mitte Michaëlem;
qui, pro nobis, pugnet & confligat:
caro nos malefada sollicitet; sugge-
stiones diabolicæ nos tentent: mitte
Gabrielem, qui voluntatem nostram
cum tua conjungat.

Væ mihi! si quando provocati san-
cti Angeli peccatis & negligentis, in-
dignum me judicaverint, præsentia
& visitatione suâ: quorum præsentia
protegere me, & propulsare poterat
inimicum.

Quandoquidem igitur necessariam
habeo familiaritatem dignationis An-
gelicæ: fac, caveam mihi ab ipsorum
offensione; & me in his maximè ex-
erceam, quibus eos novi oblectari.
Hæc autem placent eis, quæ in me in-
venire delectant: ut est sobrietas, tran-
quilla paupertas, creber in coelum ge-
mitus: &, super hæc omnia, veritatem
& pacem à me exigunt.

Sim Lothus, in iustitia; sim Isaacus,

in obedientia; sim Eleazarus, in fidelitate; sim Jacobus, in pietate: sim Elias, in zelo; sim Elifæus, in animositate; sim Ezechias, in devotione; sim Daniel, in constantia; sim Juditha, in castitate; sim Tobias, in probitate; sim Lazarus, in patientia. Hæc concede mihi, Deus meus! & comites habeo Angelos tuos individuos. Comitabuntur me; comitabuntur utrumque, animam simul & corpus: & comitabuntur animam, post ejus exitum ex corpore: deducantque in Paradisum; ubi congressio & adspectio est Angelorum & Archangelorum; addo, & conspectio Christi Salvatoris.

Hæc concede mihi, Deus meus! & celebrabo te cum Cherubim & Seraphim: ac misericordias tuas cantabo voce incessabili, in æternum. Amen,
Amen.

CON-

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXXI.

De Baptismo.

HOrrenda sunt verba, homo!
quæ legimus: *Eratis, in illo
tempore, sine Christo, & a-
lieni eratis à conversatione
Israël; & extranei eratis à
pactis promissionis, & si-
ne spe eratis, & sine Deo in
mundo.*

Quid tibi, miserrime! miserius;
quid auribus tuis accidere poterat ter-
ribilius? Qui sine Christo est; sine fi-
de est: qui exclusus est à conversatio-
ne Israël; gratiam nescit: qui sine spe
est; solatium non habet: qui sine Deo
est; adiutorem non habet. O abys-
sum

sum infelicitatis! quam quæ mens satis perpendere, quæ lingua satis potest exprimere!

Quot hominum myriades, plusquam Ægyptiacis, in superstitiosa & abominanda gentilitate, tenebris sunt obvolutæ: quæ & hoc tempore sunt sine Christo, alienatæ à conversatione Israël, extraneæ à pactis promissionis; sine spe, sine Deo in mundo. Habent quidem fortè aliquid, quod Dei nomine indignant: sed, quicquid sibi pingant, quæcunque sibi fingant; non sunt, nisi vel noctium occursacula, bustorum formidamina, sepulchrorum terribilamenta, vel simulachra frivola alia, argentea & aurea, opera manuum humanarum: quæ os habent; sed non loquuntur: oculos; sed non vident; aures; sed non audiunt: nares; sed non odorantur: manus; sed non palpant: pedes; sed non ambulant: nec guttore suo mutiunt.

O Deos absque Deitate, absque intellectu, absque vita!

Plurimis istis hominum perditissimorum

morum myriadibus & ego eram annumerandus: (par quippe sententia damnare debebat, quos par tenebat culpa:) sed tibi gratiæ, ô Deus æternæ! debentur æternæ: quòd separasti me gratis ab illis, cum quibus transgressionis habebam communionem.

Voluisti; ut ex parentibus generarer & nascerer talibus, qui non sederent in tenebris, nec habitarent in regione umbræ mortis: sed ex tenebris essent vocati in admirabile tuum lumen, ad genus electum, ad regale sacerdotium, ad gentem sanctam, ad populum acquisitionis.

O Deus, Deus meus! quæsisisti me, te nescientem; dedisti mihi, non petenti; aperuisti mihi, non pulsanti. Cùm enim vagiens adhuc essem in linteis madentibus pusio; cùm adhuc à præsepi materno foeterem; cùm non parentum modò meorum, sed meis quoque sordibus, tam naturalibus, quàm spiritualibus, marcescerem: tu tamen hæc omnia nîl veritus, me in peccatis conceptum & calefactum,

suscepisti, fovisti, & perpurgasti. Deduxisti me ad aquas mundas, aquas vivas, aquas salutis: ad consilium Divinum: ad lavacrum in verbo regenerationis & renovationis.

Appulisti me, Deus! Deus meus! ad Baptismum, primam ad regnum celorum januam; ad brachia Christi & oscula: quibus, e gremio parentum, nos transfert in coelestia; numero electorum Dei & civitati coelesti inscribit; ac corporis sui membra facit: quæ cum capite unum sint, omnium coelestium bonorum participia. Promissisti hoc, Deus! Deus meus! apud Prophetam: *haurietis aquas in gaudio, de fontibus salutaribus. Et: effundam aquas super sitientem, & fluenta super aridum: effundam Spiritum meum super sementum; & benedictionem meam super*

super stirpem tuam: Et germinabunt inter herbas, quasi salices, juxta præterfluentes aquas. Atque iterum: afferent filios suos in ulnis, Et filias suas super humeros portabunt. Cum illis & ego, ô misericordissime Domine! allatus & asportatus, perspersus atque lotus fui: & ad te, velut alis aquilæ, ascendi. Deposui peccatorum senectutem: sumsi gratiæ juventutem. Hoc præstitit mihi Sacramentum hoc cœleste. Bona aquila esse cœpi: quæ, tuâ gratiâ, cœlum petit, terrena fastidit.

Quotiescunque aquam conspicio naturalem; recordari decet aquæ hujus Divinæ: quæ tot in nobis ac tanta effecit. Aqua naturalis lavat & abstergit maculas; exstingvit ignem; refrigerat ac temperat sitis ardorem; conjungit res multas ac diversas in unum: quàm profundè descendit; tam altè ascen-

ascendit: aqua Baptismi Divina lepram peccati eluit; iniquitates nostras delet; ac super nivem nos dealbat.

Sunt quidem peccata nostra ut coccinum; quasi nix tamen dealbantur: sunt rubra quasi vermiculus; tamen velut lana albescent. Aqua Baptismi Divina admirabili ratione & modo extingvit ignem carnalium concupiscentiarum. Quanta dulcedo oritur in nobis subito; cum, lotionem hac, Spiritus in nos illabitur coelestis! quis ejicit à nobis sordiditates vanitatum. Ejicit; ut intret, pro eis, voluptas arcana & superna, omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini; omni luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non hominibus in se sublimibus. Exstingvit etiam ignis flammam infernalis, faces Tartarorum diabolicas: quas nullâ opem humanâ licet dissipare.

Aqua Baptismi Divina desideria cordis humani, variis & molestissimis, finem imponit: & in solo nos Deo jubet acquiescere.

Aqua

Aqua Baptismi Divina ex gentibus, Israëlita & Ethnica, longè diversissimis, & plurimùm discrepantibus, gentem facit unam: ut unum sit corpus, unus spiritus, spes vocationis una: donec in unum tandem consummentur.

Aqua Baptismi Divina de cælo nobis est, à Patre luminum, donata: & cum sit ex fonte aquæ salientis in vitam æternam, non corda tantùm nostra ad originem suam pertrahit; sed & nos totos, ad scaturiginem illam beatissimam, deducit.

Vale, orbis! apage Satana! abite terrena quævis! Recordor enim vocis ejus, quam meus susceptor meo loco est prolocutus: *abrenuncio tibi, Satana! & pompæ, & cultui tuo.*

Receptus sum, verbis his, in fœdus Dei; adscriptus in militum Christi numerum.

Quicquid dixeris, serpens! mox
ego

234 CONTEMPLATIONES
ego respondebo : quicquid dixeris;
non audiam te.

Deinde, ne per alios me capias; ab-
renuncio etiam pompæ tuæ, & cultui
tuo, & angelis tuis.

Vocatus sum ad militiam Dei vivi:
cū in Sacramenti verba sponendi.

Quæcunque terrena sunt, in seculo
accepta, & hūc cum seculo remansura;
tā contemni debent, quā mundus
ipse contemnitur: cuius pompis & de-
liciis jam tunc renunciavi; cū melio-
re transgressu ad Dominum veni.

Albis sum vestibus, in Baptismo, in-
dutus: ut in Christi innocentia me
devotissimè recumbere, & integrè ac
candidè me velle vivere, innoteretur.

Fateor quidem, Deus meus! me,
nonnunquam foederis tecum initi im-
memorem, castra pietatis deseruisse,
& ad hostem tuum secessisse, trans-
gressionibus & prodicionibus te, Du-
cem meum, gravissimè offendisse; ut
extremo dignissimus sim supplicio:
sed redeo ad te; procumbo coram te;
& oro te, per ineffabilem tuam beni-
gnita-

gnitatem: ut recipias me; protuo me
milite & ministro agnoscas; & brabe-
um tandem ex gratia mihi concedas:
quò tropheum tibi aliquando, libera-
tus & salvatus, possum statuere.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXXII.

De Praxi Christiana.

Christianum se nominare, non est
difficile: sed præstare, haud faci-
le. Quisquis nominis cupit mensu-
ram implere; ad sequentia sedulò debet
attendere.

Agnosce ergò, homo! vilitatem
tuam: quàm miser, quàm nullius sis
momenti, considera.

Non habes abs te quicquàm; à Deo
habes omnia: utenda ille tibi dedit o-
mnia; cui, quocunqve jubeat momen-
to, sunt restituenda, etiam ipsa tua vi-
ta: & excedendum hinc tibi tam nudo,
quàm

quàm in hanc vitam introire data est. Et quamvis totus te mundus, & omnes ejus incolæ comitentur; nihil tamen tibi commodabunt. Omnia enim sunt fluxa, caduca, transitoria; & à morte res te liberat nulla.

Ne igitur te trade securitati; sed time Deum, & vilitatem tuam exactè examina: benefac, omnibus viribus tuis, egentibus: ut thesaurum tibi colligas in cœlo. Benefacere enim teneris. Quisquis autem benefacere novit, nec facit; hic peccato tenetur. Quisquis porrò benefacit: non benefacit de suo, sed de eo, quod à Deo ipsi datum est, & quod Dei est.

Ne ama, homo! mundum, aut quæ sunt in mundo; cupiditatem nimirum carnis, libidinem oculorum, & fastum vitæ: sed venerare Deum, & Divina tecum meditare.

Annitere, ut Dei impleas voluntatem, in omnibus actionibus: terrestres, & in terram proclives animas devota: ne aliorum te peccata contaminent. Quære Dei regnum; & concessæ
etiam

etiam lætitiæ ita indulge, ut timeas, tremasque, ne in occultum aliquod incidas peccatum; aut arbore cognitionis boni malique delecteris, voluptatibusque momentaneæ intuitu, legem Dei, ut Eva, ex animo oculisque amoveas: quæ tamen voluptatum tuarum summa debebat esse & fastigium. Die ac nocte illa tuum debet esse delictum: ut recta tibi sit via, veritas, & vita: siquidem vivam velis vitam vivere, ad vitam æternam; non ad æternam mortem.

Tria deinceps, homo! isthæc custodi: fidem, charitatem, atque spei firmamentum. Quicquid facies; fac, ex fide facias, sincerâ cordis simplicitate, fiduciâ benignitatis Dei paternæ; & gratias Deo agas, cui eas debes: sic benedictio jugis erit tua pedissequa.

Charitas ex imo cordis pullulet; ne tute tibi ipsi complaceas: sed, Deo ut placeas, allabores, cum timore, absque elatione. Hominibus placeas in veritate, misericordia & justitia, absque adulatione: ea enim charitas est perfecta.

Re-

Requirit charitas, quæ Dei sunt & proximi; non quæ mea.

Spes tua sit absque trepidatione & dubitatione; in Dei voluntate acquiescat: quæ Divina sunt, quæ celestia, quæ æterna, expetat; non lubrica, fragilia, caduca. Spem illam, in Deo abs te collocatam, nemo tibi excutiat: sperandum enim in ipso, & in mortis agone: quia est omnipotens.

Humilitatem nunquam ex animo dimitte: vitam enim tuam custodit simplicitate, roborat patientiâ, cibatur veritate.

Omnes vias tuas committe Domino, ipse faciet. Novit ille, quid e re sit tua; quid secus.

Putasne, sortem tuam ipsum latere? Ecce! videt & novit Deus omnia; nihil ipsi absconditum. Respicit autem pauperem & contritum spiritui, ac trepidantem ad verbum ejus. Ne igitur quære sublimia.

Cum

Cùm laudaris, time: quoniam servus es inutilis; nec potes quicquam, Dei potentia, gratia & Spiritu non adjutus.

Ne meliorem te aestima proximo tuo: cùm homo sis nihili. Honorem soli Deo esse tribuendum, memento: & magnus eris; si temet ipsum dejeceris.

Perpetuò hæc ruminare: primò, vana, futilia ac scurrilia ex ore tuo ne prorumpant colloquia; sed pia, placida, utilia, quæ ad vitam faciant, non ad mortem deducant. Lingvam ergò tuam frena, atque cohibe: occidere enim potest & vivificare. Secundò, ut animum & conscientiam à pravitate conserves immunem: malitiam impiasque cogitationes excludas, ac lucem nunquam refugias.

O beatus ter & ampliùs, quem cor suum non condemnat!

Dei

Dei es, ò homo ! rectè cum Deo ambula : tenebras , mendacia , iniquitiam , amove ; quia ipse talium est iudex & vindex.

In omnibus te ipsum explora ! ut, quid tibi adhærescat vitii, quid desit virtutis, cognoscas : illud ut exuas ; hanc ut acquiras. Nunquam enim adeò evadere potes perfectus ; ut desiderari aliquid non possit.

Quæcunque facis, Deo ut placeant ; ex ipsius indultu facis & adiumento : tu enim, per te, planè nihil es ; & solâ Spiritus sancti ope in profectu progredieris : cuius operationes ne sistas, aut impedias. In continua pœnitentia, humilitate, & cordis simplicitate, cum timore & tremore, salutem tuam operare : & cogita, ne huius quidem vitæ, nedum futuræ, bonis te esse dignum.

Indefinenter tandem ora, in omnibus tuis laboribus, reverenter, devotè, humiliter ; quippe coram Deo omnipotente : in fide, in viis tuis, cum ardente salutis proximi tui desiderio. Orandum in cubiculo, in solitudine, in
subje-

subjectissima devotione, in jejuniis, in lacrymis, in angore, in fletu, in contritione, super genua, noctu, die, spe plenâ sine hæsitazione, secundum Dei voluntatem, pro omnibus Christianæ fidei confessoribus.

In omnibus Deo stude placere; non hominibus.

Quisquis honorat Dominum; eum Dominus vicissim honorabit: quisquis contemnit Dominum; eum Dominus vicissim contemnet. Concede mihi, benignissime Deus! gratiam tuam: ut tecum sit, & tecum laboret, tecumque in finem usque perseveret.

Da mihi, hoc semper desiderare & velle, quod tibi magis acceptum est, & charius placet.

Tua voluntas mea sit: & mea voluntas tuam semper sequatur, & optimè ei concordet.

Sit mihi unum velle & nolle tecum; nec aliud posse velle aut nolle, nisi quod tu vis, & non vis.

O Deus meus! dulcedo ineffabilis! verte mihi in amaritudinem, omnem

L con-

242 CONTEMPLATIONES
consolationem carnalem, ab æterno-
rum amore me abstrahentem, & ad se,
intuitu cuiusdam boni delectabilis
præsentis, malè allicientem.

Non me vincant, Deus meus! non
me vincant caro & sanguis: non me
decipiat mundus, & brevis gloria ejus:
non me supplantet Diabolus, & astu-
tia illius.

Da mihi fortitudinem resistendi,
patientiam tolerandi, constantiam
perseverandi. Da, pro omnibus mundi
consolationibus, suavissimam Spiritus
tui unctionem; & pro carnali amore,
tui nominis infunde amorem.

Confirma me, Deus meus! per gra-
tiam sancti Spiritus.

Da virtutem, corroborari in inte-
riore homine, & cor meum ab omni
inutili solitudine & angore evacuare,
nec variis desideriis trahi cujuscunque
rei vilis aut pretiosæ; sed omnia inspi-
cere sicut transeuntia, & me pariter
cum illis transiturum: quia nihil per-
manens sub sole: ubi omnia vanitas &
afflictio spiritus. O quàm sapiens, qui
omnia ita considerat!

Da mihi, Deus meus! cœlestem sapientiam: ut discam te super omnia quærere & invenire; super omnia sapere & diligere; & cætera, secundum ordinem sapientiæ tuæ, prout sunt, intelligere.

Da prudenter declinare blandientem, & patienter ferre adversantem: quia hæc magna sapientia, non moveri omni vento verborum, nec aurem male blandienti præbere voluptati. Sic enim inceptâ pergitur viâ securè.

CONTEMPLATIONUM ET SUSPIRIORUM HOMINIS CHRISTIANI

XXXIII.

De veri dignitate Christiani.

Appellent alii hominem animal ad societatem natum, plenum rationis & consilii; vocent miraculum magnum Deoq; simillimum, miraculum miraculorum: dicant Hori-

zontem corporeorum & incorporeorum, omnium rerum mensuram, parvum mundum, mundi epitomen, naturæque delictum; scribant, hominem unum esse, qui omnem superet admirationem; nihil in terris magnum esse, præter hominem: tanta tamen dignitas, tanta excellentia, tanta sublimitas hominis nunquam esse poterit; quanta quidem futura, si homo dicatur CHRISTIANUS: quæ denominatio, ab ipso Dei Filio CHRISTO, originem desumpsit; & illis impertitur, qui, in Baptismatis Sacramento, aquâ salutari consperguntur, Christo nomen dant suum, sub purpureo ejus vexillo militant, intrepidâ doctrinæ Evangelicæ ac cœlestis professionis honorem Ducis atque Autoris tuentur, & indefesso bonorum operum studio & exercitio stabiliunt, propugnant ac propagant.

O miseros illos, qui nominati sunt Pagani: vel quod in publicis pagis & compitis idola sua venerarentur, à civitate Dei alieni; vel quod, post ampli-

plificatum Christi regnum, & disseminatam latius Christianorum doctrinam, orbem non amplius urbesque præcipuas occuparent; sed, in angustias redacti, pagis tantum concluderentur.

O miseros illos, qui nominantur Judæi! Etsi enim prisca gens Judæorum multis alios populos privilegiis & prærogativis antecessit, & à regno quoque cœlesti ac civitate Dei non fuit exclusa: hodierna tamen ipsorum colluvies, ubique dispersa, eminentiis multifariis, à populo Christiano jure potest provocari. Exhibito enim corpore, umbras urget, ritus Mosai-
cos mordicùs defendit, Christum, salutis januam unicam, aspernatur: Pharisæico fascinata fermento veritatem respuit, detrectat, impugnat, atque inde, justo Dei judicio, vastatâ & amisâ Hierosolymâ, templum non habet, Republicâ destituitur, per totum orbem abjectissimè disjicitur.

O felices Christianos, & ab omni miseria liberatos! Christus est Deus

246 CONTEMPLATIONES
in secula benedictus: Christiani ergo
sunt homines Divini.

Christus, verus per essentiam Deus,
est spiritus: Christiani ergo sunt ho-
mines spirituales.

Christus, per naturam, est unige-
nitus Dei Filius: Christiani ergo sunt
coeli, per gratiam, hæredes.

Christus Dei est virtus & potentia:
Christiani ergo sunt potentes.

Christus est sapientia: Christiani
ergo sapientes.

Christus est iustitia: Christiani er-
go iusti.

Christus est nobis factus sanctifi-
catio: Christiani ergo sancti.

Christus est via: Christiani ergo
non errant.

Christus est vita: Christiani ergo,
etiam mortui, vivunt.

Christus est veritas: Christiani er-
go in omnem ducentur veritatem.

Christus lux est, illuminans mun-
dum: Christiani ergo in mediis lucent
tenebris.

Chri.

Christus pastor est: Christiani ergò saluberrimis pascuis saturantur.

Christus Medicus est & sanator: Christiani ergò, in omnibus infirmitatibus, medelam accipiunt.

Christus Satanæ victor, & mundi est Dominus: Christiani ergò dominantur in Christo; vincunt & triumphant.

Christus regnat in gloria, estq; ipsa gloria, & in omnibus omnia: Christiani ergò, licet mundo sint abominabiles, habeanturque ludibrio, in Christo tamen sunt gloriosissimi, & nihil habentes, possident omnia.

Christus unctus est; quando humanitas ipsius in Verbi personam est assumpta: unxit Divinitas; humanitas uncta est: & unctio hæc totius unguenti, in totum unctum, est immeatio. Unctus est oleo lætitiæ, præ confortibus suis. Unctus est donis finitis & infinitis, in humanam, ex Virgine assumptam, naturam collatis; quæ olei nomine veniunt, propter fragrantissimum, quem spirant, odorem, & vim,

248 CONTEMPLATIONES

quâ pollent, confortandi. Conferuntur oleo lætitiæ; quia Christianorum è pectoribus tristitiam expellunt, plenamq; lætitiâ accendunt.

Quotiescunque jam in mentem venit nominis Christi: cogita, Deum ab æterno definivisse, atque ordinasse & consecrâsse ipsum; ut opus redemptionis consummaret: & dona ineffabilia uberrimè in ipsum contulisse; quibus opus habiturum prævidebat: Prophetam ipsum esse, nostrum Doctorem, Sacerdotem nostrum, qui semetipsum Patri cœlesti victimam expiatoriam obtulerit: Dominum esse dominorum, Regem esse regum, qui regnum incomparabile & æternum, in primo quidem conceptionis momento, quoad possessionem; in ascensione autem, quoad plenariam & splendidissimam usurpationem, habuerit. Perinde ut David, vivo adhuc Saulo, à Samuele in regem fuit unctus; regalem tamen potestatem non exeruit: eo autem è vita sublato, dominium sibi

sibi vindicavit, regnumque administravit.

Sumus autem & nos Christiani uncti: quando ab hominum mundialium impietate separati, & ministerio Spiritus consecrati fuimus. Uncti sumus; quando, ut Christus immensa, ita nos dimensa Spiritus sancti dona accepimus. Uncti sumus; quando ad dignitates Propheticas, Sacerdotales & Regias, fuimus exaltati.

Et hoc est, quod dicit Propheta: agnoscetis, in medio Israëlis me esse, meque esse Jehovam, Deum vestrum, & nullum esse amplius: neque erubescet populus meus in seculum. Eritque postea, ut effundam Spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filii vestri, & filiae vestrae: seniores vestri somnia somniabunt; juvenes vestri visiones videbunt. Quod par Apostolorum selectissimum deprædicat: Jesus Christus est fidus ille testis, primogenitus ille ex mortuis, ac princeps regum terræ; qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris, per sanguinem

250 CONTEMPLATIONES

nem suum: qui fecit nos reges, & sacerdotes, Deo & Patri suo. Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus, quem sibi Deus, ut proprium, vindicat.

O nomen, non quidem supra omne nomen; sed tamen Divinum, sed cœleste, sed venerabile! Impletum hîc est, quod Vates ait: indetur tibi nomen novum, quod os Jehovæ præfixerit. Dimisimus nomen execrabile: quia Dominus servis suis nomen indidit aliud.

Cavete vobis, cavete, quicumque hæc legeritis: ne quem fidelium contemnatis, parvipendatis, aut ludificetis: licet miserrimus, abjectissimus & afflictissimus videatur. Quanta quanta enim ejus sit miseria, abjectio & afflictio: unctus tamen est Omnipotentis, Propheta Sanctissimi, Sacerdos Altissimi, rex ipse aliquando cœlestis futurus.

Prophetæ estis, Christiani! sermo ergo Christi inhabitet in vobis copiose, cum omni sapientia, docendo & com-

commonefaciendo vos mutuo psal-
mis, & hymnis, & cantionibus spiritua-
libus, cum gratia canendo, in vestro
corde, Domino.

Sacerdotes estis, Christiani! peto
igitur à vobis, fratres mei! per miseri-
cordiam Dei: ut sistatis corpora ve-
stra victimam vivam & sanctam, & ac-
ceptam Deo, per ministerium ratio-
nale. Ne conformetis vos seculo
huic: sed mutemini, per renovatio-
nem mentium vestrarum; & discerna-
tis, quæ sit voluptas Dei bona, & acce-
pta, & perfecta.

Reges estis, Christiani! ne igitur
servi peccatorum reddamini, aut æ-
stuantibus carnis affectibus subjicia-
mini: sed peccata mortificetis, cupi-
ditates dometis; nec dignitatem ve-
stram vilissimo & impurissimo obse-
quio prostituatis.

Laudate Christum vestrum: quia
omnis vestra eminentia, omnis subli-
mitas, omnis gratia, omnis gloria, ab
ipso ad vos provenit.

Ut flumina ex mari profluunt, & in

idem refluunt : ita vestra eminentia, vestra sublimitas, vestra gratia, vestra gloria, in autorem & datorem dirigatur, ordinetur, referatur.

Invoke, Christiani ! Christum vestrum : quia etsi uncti estis ; unguentum tamen , peccatorum sordibus & iniquitatum cœno, facile potest obrui, collutulari, abstergi.

Portatis dona cœlestia in vasculis fragilibus : orate ; ne hæc frangantur, & illa ejiciantur. Lucernas gestatis in manibus : rogate, ne quis ventus flammam dissipet, aut oleum vestrum deficiat, vosque, cum virginibus fatuis, in tenebris relinquamini.

Amate, Christiani ! Christum vestrum ; quia unctus ipse est ; ut vos quoque ungeremini : quia Rex ipse est ; cujus subditi sunt universi orbis incolæ : quia Sacerdos est ; qui totius mundi transgressionem expiavit : quia Propheta est , qui rudes omnes erudit, informat, & viam ad vitam rectè docet.

Amate, Christiani, Christum vestrum :

strum: quia evidentissima grati animi declaratio non in ore, sed opere; non in promisso, sed obsequio, consistit.

Ut autem porrò dignitatem vestram uberius expendatis; videnda est

Christiani natiuitas.

Pater est, in coelis Deus; in terris mater Ecclesia.

Semen est verbum Dei audibile, & visibile; illud prædicatio Evangelii; hoc administratio Sacramentorum.

Renati estis; non ex semine corruptibili: sed incorruptibili; per verbum Dei manentis, & viventis in æternum.

Pater luminum genuit vos, verbo veritatis. Uterus sunt templa: in quibus semen verbi cœlestis spargitur; & in quibus Pater æternus, & Mater Ecclesia conveniunt.

Generationis huius materia est cor hominis: privatio est veteris Adami

254 CONTEMPLATIONES

mortificatio; forma est ipsa vivificatio: quâ assensus in mente, fiducia in voluntate confurgit: ut, ex filio iræ, filius fiat gratiæ; cæco visus, surdo auditus, muto loquela, claudo ambulatio, mundities leproso, mortuo vita restituitur.

Formationis tempus est, cùm Christianus subindè magis ac magis cognitione in mente, & sanctitate in corde proficit: gestationis, cùm per totam vitam, mediantibus cotyledonibus vel umbilicis, hoc est, verbi ministris, lac doctrinæ salvificæ, ex duobus Ecclesiæ uberibus, Lege & Evangelio, attrahit, atque, ut embryo clausus in utero, ita ipse vivit in verbo.

Brutum sit, & belluâ insipidior, qui non miretur; embryonem, in carcere tam tenebricoso, in angustiis tam impuris, in ergastulo tam squalido, inter tot foeditates, fordes, excrementa, secundinis involutum, intestinis compressum, vivum conservari: mirandum certè magis longè est; Christianum ullum inter tot angores, cruciatus, dolores,

lores, insidias, calamitates, tormenta,
sustentari.

Circa nostræ enim gestationis uterum, clamat mundus; ego interficiam; clamat caro; ego inficiam: clamat Diabolus; ego decipiam.

Latitandum nobis ibi; ubi malitiæ plurimum, ubi sapientiæ modicum, ubi omnia sunt viscosa, omnia lubrica, omnia operta tenebris, & obsessa laqueis: ubi periclitantur animæ, affliguntur corpora: ubi omnia vanitas & afflictio spiritus. Vivimus tamen, & servamur.

Vivimus, sine interfectione; nutrimur, sine inopia; gestamur, sine ejectione; sustentamur, sine defectione.

Embryo vitam, in matris utero, vivit occultam: vivit quidem in mundo; sed oculis non videtur: spiritum emit: sed vix attrahit: nos quoque, embryones regenerationis, vitam vivimus occultam. Quamvis enim in regno vivamus cœlorum: nondum tamen gloria, & vita nostra, desiderabilis admodum, apparet; nondum lucem

256 CONTEMPLATIONES

cem æternæ beatitatis intuemur; nondum aërem plagæ Paradisiacæ haurimus; nondum Manna Angelicum comedimus; nondum vinum bibimus supernum: sed levis tantum horum omnium datur prægustus, & vix sensibilis conceditur transpiratio.

Instat autem hora, veniet tempus; quo, quales futuri simus, manifestabitur: quo vitam inchoabimus, & nunquam finiemus luculentam, vitam non spei, sed rei; non fidei, sed visionis.

Vitam hanc ordiemur, cum moriemur. Incipit enim nostra, in veram lucem, nativitas; cum à nobis exuetur mortalitas.

Dies namque Christianorum immortalis, verus est ipsorum natalis.

In morte, incipiunt vivere; per mortem, penetrant ad vitam: ut infans, cum, ad alvi jacens ostiolum, egressum gemebundus expectat; & mortis licet ad limen, in vitæ portum defertur.

O mortem Christianorum vivificam! O Christianum, Dei filium,
Christi

Christi fratrem, socium Angelorum,
mundi dominum, naturæ Divinæ par-
ticipem ! O Christianum ! supra le-
gem & peccatum ; supra mortem, in-
fernum, & Satanam, constitutum !

O Jesu ! Domine meus ! ô Chri-
ste ! Dux meus ! gloriosum sit nomen
tuum : quia nomen mihi benedictum,
à tuo nomine denominatum, dedisti.

Nascatur laus tua quotidie in ore
meo : quia tu quotidie renasceris in
corde meo ; ut ego in te ipso quoque
renascar.

Denascar mundo : soli, fac, tibi re-
nascar ; & vivam tibi, & tecum.

Christianus enim rectè dicitur ne-
mo ; nisi qui Christo moribus, prout
potest, coæqvatur : & frustra hoc no-
men fortitur, qui Christum minimè
imitatur.

Quid enim tibi prodest vocari,
quod non es ; & nomen usurpare
alienum ?

Si quem Christianum esse delectat ;
quæ Christianitatis sunt, gerat : & me-
ritò sibi Christiani nomen assumet.

Gerit

Gerit autem ille, quæ sunt veræ Christianitatis: qui omnibus misericordiam facit; qui nullâ omninò movetur injuriâ, qui alienum dolorem, tanquam proprium, sentit; cujus mensam nullus pauper ignorat; qui, coram hominibus, inglorius habetur: ut coram Deo & Angelis gloriatur: qui terrena contemnit; ut possit habere cœlestia: qui opprimi, se præsentem, pauperem non patitur: qui miseris subvenit: qui ad fletum fletibus provocatur alienis; quod faciebat Paulus: *quis, inquam, infirmatur; & ego non infirmor.*

Hæc, ô Christe! mihi Christianorum minimo & indignissimo, clementer tribue, pro virili perficere: & in eo studio perseverare; non nutare, labare, aut planè deficere. *Non enim queritur in Christianis initium, sed finis: quem largire mihi beatissimum!*

CON-

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXXIV.

*De regulis ad vitam pie
transigendam necessariis,
quoad hominis cogi-
tationes.*

Vita hominum media est, inter
vitam Angelorum, & pecorum.

Si vivit homo secundum carnem;
pecoribus comparatur: si vivit secun-
dam spiritum; Angelis sociatur.

Ut autem viam ingrediaris rectis-
simam: considerandæ sunt tuæ tibi
cogitationes, examinanda verba, tru-
tinanda facta.

Quoad cogitationes: nihil spatii
aut loci concede peccatis: sed ea, in
herbis promicantia, revelle; antequam
agant radices.

Maturè ova contere basilisci; ne
quis draco indè profiliat: filios Baby-
lonis

lonis ad petram allide ; dum parvuli sunt.

Ne in idem peccatum sæpius incide : sin ; contrahes peccandi consuetudinem ; nec peccare dubitabis, Deum hominesq ; nil reveritus.

Ne in animo tibi tuo ea propone ; quæ vel sint impossibilia, vel inutilia.

Nimis alta ne sape.

Mundum, & mundana quæq ; , vana esse cogita : ne nimum ea æstimes.

Recordare mortis : ne nimum eam, ad te adventuram, pertimescas. Recordare iudicii ; ut, animo instructo, coram eo possis comparere. Recordare inferni : ut devites. Recordare beatitudinis : ut intres.

Subindè magis magisq ; disce tuam agnoscere miseriam : quæ ex incredulitate, & præceptorum Divinorum transgressione resultat. Abrenuncia illis : & præcepta servare omnia annitere.

Pulsa januam misericordiæ celestis, meritò Christi ; atque ita te humilia ;

li
i.
e-
n
i
a
n
s.
t-
a
n
i-
n
a
-
t-
-
;
milia; ut, si ex te quærat: *quæ creatura in his terris omnium abjectissima?* in animo respondere tuo non graveris: ego sum; propter peccata. Et si denuò ex te quærat: *quisnam in his terris thesaurus sit omnium pretiosissimus?* in animo respondere tuo non graveris: sanguis & meritum Domini mei Jesu Christi; quo à peccatis meis sum mundatus, & salus mihi acquisita.

Potissimum, *voluntarie peccare & deliberato consilio, exhorresce: veram enim fidem habere, & voluntarie peccare; magis haud consistunt, quàm ignis & aqua, agna & lupus.*

Verus esto & fidelis sincerusq, Jesu
Christi

Christi servus; non in publicis modò congressibus, ubi verbum Dei annunciat, Sacramenta distribuuntur: sed in vita etiam reliqua, in fugiendo malo, faciendo bono.

Quòd si quod, ex carnis imbecillitate, peccatum admisisti: ociùs detestare, & præproperâ ac seriâ pœnitentia amolire.

Tantisper Deum ora, dum conscientia tua in oratione tua conquiescat, peccatum amarescat, & nil tibi, præter virtutem ac pietatem, dulcescat.

Ne nimiùm auram capta popularum, quæ inconstantissima.

Et quamvis digitos prætereuntium, & quorumcunq; bonorum favorem tuis videaris meruisse virtutibus: prudenter tamen & moderatissimè eo utere: ne plus incommodet, quàm odium atqve contemptus.

Verè sapit, qui vulgi gratiam nec nimiùm aucupatur, nec nimiùm æversatur.

Cum-

*Cum primis animi quare
tranquillitatem: Et sorte sis
tuâ contentus.*

*Non noxium est, bonis,
quæ Deus impertit, vitæ, a-
liquid mali admisceri.*

*Blanditur Deus tibi, ut-
pote filio suo; ne desperes: ca-
stigmat te Deus; ne efferaris.*

*Auream apprehende me-
diocritatē. Necesaria quæ-
re; non superflua: & semper
ad Divinam respice voluntatem; ne
tua te voluntas pessumdet.*

*Felix ille, qui in hac vi-
ta latet: Et non nisi Deo,
ac sibi, est notus.*

*Dixit quidam: quoties inter
homi-*

*homines fui ; toties minor
homo redii.*

*Facilius est domi latere ;
quàm foris se posse sufficien-
ter custodire. Qui igitur in-
tendit ad interiora & spiri-
tualia pervenire ; eū oportet,
cum Jesu , à turba declinare.*

*Nemo securè apparet ; nisi
qui libenter latet.*

Sæpè meliores, in æstimatione ho-
minum , gravius periclitati sunt : pro-
pter nimiam confidentiam suam. Un-
dè multis utilius est, non penitus ten-
tationibus carere ; sed sæpius impu-
gnari : ne nimium securi sint ; ne for-
tè in superbiam eleventur ; ne etiam
ad exteriores consolationes licentiùs
declinent.

O ! qui nunquam transitoriam læ-
titiam quæreret ; qui nunquam cum
mundo

mundo se occuparet: quàm bonam
conscientiam fervaret!

O! qui omnem vanam solitudinem
amputaret; & duntaxat salutaria ac di-
vina cogitaret; & totam spem suam,
in Deo, constitueret: quàm magnam
pacem & quietem possideret!

Nullius rei, nisi gratiæ Divinæ, in-
opia nimium te percellat. Gratiam Di-
vinam expete; & consequeris: ac ex-
ternorum te penuria non affliget ni-
mium.

Situam tibi indigentiam exprobrat
Satanas; Pauli tecum verba reputa:
nihil intulimus in mundum:
Et notum est; quòd ne quid affer-
re ab eo quidquam possimus.
Propter hoc, sufficit nobis alimentum
& operimentum.

Qui autem volunt ditari: incidunt
in tentationes, & in laqueos, & in cu-
piditates multas stultas, & affligentes,
& demergentes filios hominum in rui-
nam & perditionem.

M

Ora

Oracum Agur, filio Jake: *duo petii abs te, Domine! quæ ne prohibeas à me, tantisper dum vivo. Vanitatem, & rem mendacem, longè amove à me: paupertatem, aut divitias ne des mihi. Ale me cibo demensi mei; ne saturatus mentiar, ac dicam: quis est Jehova? neve, pauper factus, furer; denique abutar nomine Dei mei.*

Magis ob Dei, quàm ob tui doli contemtum.

Si injuriam fers; perfer tranquillè: & vinces.

Fama tamen mea; inqviàs, temerata est: patiar? Quidnî? patere: & famæ tuæ sat citò restituéris. Qui corpus tibi tuum putrefactum, in extremo

extremo die, olim reddet; reddet etiam famam.

Succense, indignare, rumpe te: quid commodabunt istæ tibi turbæ? nil gratius inimico tuo; quàm si videat, tantoperè te concitatum tumultuari. Potiùs pro inimicis ora: ut eos habeas vitæ æternæ cohæredes, & in regno Patris collaudatores.

Quò magis te alii extollunt; eò magis in tuis te oculis humilia: nec in ejusmodi complace tibi vanitatibus.

Qui terrestria magni non faciunt: ab Angelis cœlestibus magnificantur, & deprædicantur.

In omni opere tuo rectè, sincerè, candidè procede; nec aliena vehementiùs cura.

Nullum peccatum crede parvi faciendum. Nullum tam leve, (si leve est ullum) quin grandes pænas, & mortem provocet æternam. Ergò & minima deplora; & vitæ emendationem precare indefessus.

M 2 Vita

Vita quàm sit brevis, cogita. Omnia nostra si quis accuratè consideret; instar avium volantium nos prætereunt. Vicissim nos ea quoque, perpetuo cursu prætereuntia, prætervehimur.

Quod denique gravissimum est; excogitari nullum potest remedium: nam hæc ita lege naturæ accidunt. Nimirum vitæ hujus res umbræ sunt, somnium, fumus, imposturæ. Ejusmodi vita nostra est, ô homines! qui fluxam vitam ducitis: ejusmodi in terra ludus; ut, cùm non simus, nascamur: cùm nati sumus, rursus dissolvamur. Insomnium sumus, minimè consistens; spectrum quoddam, quod teneri non potest; avis prætereuntis volatus; navis in mari, vestigium non habens: pulvis, vapor, ros matutinus, flos suo tempore nascens, & suo tempore marcescens. Hominis dies, sicut scænum; tanquam flos agri, sic efflorescet.

Pensacula igitur semper; qualis vita;
non

non quanta sit? Propera vivere: & singulos dies, singulas vitas puta.

Extendamus vitam: cuius & officium & argumentum, actus est. Vitæ bonum, non in vitæ spatio, ponamus; sed in usu. Potest enim fieri, imò sæpè fit; ut, qui diu vixit, parùm vixerit.

Vita ejus longissima est, cui quantumcunque potuit, totum ipsi vacavit; nihil indè otiosum jacuit.

Quomodo fabula; sic vita: non quàm diu, sed quàm benè acta sit, refert.

Non qui plurimùm fidibus cecinit, aut oravit, aut naves gubernavit, in laude est: sed qui optimè ista fecit. Nam pulcritudo non in temporis longitudine; sed in virtute, & tempestiva moderatione, collocanda est.

Certè quavis in re priores partes videmus tribui non ætati longæ; sed maturitati. Nam & inter plantas eæ habentur præstantissimæ, quæ plurimum fructus minimo tempore ferunt: & inter animalia; ex quibus, non longo temporis spatio, plurimum utilitatis

M;

vita

270 CONTEMPLATIONES
vita nostra percipit. Concludimus
igitur: *tempus breve, bene &
innocenter actum, peccanti
longaevitati anteponendum.*

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXXV.

*De regulis ad vitam pie
transigendam necessariis,
quoad verba.*

Quoad verba: homo mihi! hæc
audi, & obedi: Illud tecum sem-
per pondera verbum, quod Christus
dixit: *dico vobis: quod de o-
mni verbo otioso, quod dixe-
rint filii hominum, reddituri
sunt rationem, in die iudicii:*
quod sapientissimus Salomo: in
multi-

*multitudine verborum non
cessabit defectio.*

Verba igitur otiosa & ignava fuge:
quæ poenitentiam habent pedisequã,
& inlequens à tergo infortunium.

Examina, quæ prolocuturus, quæ
responsurus es.

Quàm diu verbum è dentium tuo-
rum sepimento non prorupit; tam diu
tuum est: statim autem atque evalit;
alterius est, qui excipit.

Quàm turpe & indecorum est: si
lingua effrenis modestiæ frena perfrin-
git, & hominem pudore suffundit!

Verba igitur tua sint pauca, pensi-
tata, sale condita. Attende: prolatus
quid dignum sit; an verò indignum?

Maximè, pro vero nîl vendita, quod
verum esse tu nescis; nec inanibus te
dede rumoribus captandis. Lingua
ejusmodi est omni Proteo variabilius
monstrum: quod orbem fabulis im-
plet, & sæpè Tragœdias joco excitat.
Eundo crescit; pleraq; omnia vero ma-
jora nunciat; & nec quidem cùm vera

dicat, falsis abstinere: & quamvis nugas duntaxat & affanias effundat; nonnunquam tamen loco mille testium est.

Ut hominum stultorum manus in omni pariete monumentum relinquunt stultitiæ: ita hujuscemodi lingua omnium aures rumoribus & fabulis implet; veris an falsis, hoc ipsi non est curæ. Vix tenuis alicubi è latebris emergit rumusculus: mox adest ista, & partum hunc, velut Levana, tollit; eumque jubet protinùs grandescere, atque, ut formosior sit, lacinias ei amplissimas induit. Ita obvio cuique rumores, ut recentem ac musteam, imò ut veram narrationem, obtrudit: & plerumq; vix quicquam veri habet.

Ita falsitas brevissimo tempore propagatur per orbem.

Quisquis rumorem audit; addit aliquid, & affingit auditis, quicquid aut credulitas, aut decorum suaferit. Ecce narrationes! quæ omnem demùm veri similitudinem exuunt.

Machinamenta olim lignea eo artificio compingebantur: ut, cum in triumpho-

umphorum pompa ducerentur, subito crescerent, & sese in altum efferrent: verè rumores sunt ista pegmata: quibus ubi spargi cœperint; subito crescere solent, & in eam extendi magnitudinem, quæ credi non possit.

Sed ô humanæ mentis insipientiam! vitam agimus brevissimam: dum ordinur; finis est: tempus perniciosissimum non gressu, non cursu, non volatū recedit; sed momentis fluit singulis, nosq; inania cogitantes, deserit, fugat æternū irrevocabili. Nos tamen, inter hæc rapidissimi temporis præcipitia, non tantū lenti sumus; sed etiam fugaces & optimos quosque dies sterilibus nugamentis frangimus. Agit nos, agiturque velox dies: inscii rapimur; dum nugamur, & de pernicie nostra ludimus.

*Ne quævis crede relata;
nec quævis refer audita: nisi
amicos velis tuos perdere, &
multorū conflare inimicitias.*

274 CONTEMPLATIONES

Prius pondera; quam iudica.

Qui tantum audita refert; sapissimè
fallit, falsus ipse prior.

Expende, quantum oculi distent ab
auribus!

Si omne, quod è fodinis eruunt me-
tallici, argentum esset, vel aurum: jam
pridem orbis hic noster deaurari po-
tuisset. Sed dum metallum, quod ef-
fossum est, ab admistis sordibus, ter-
râ, saxi, arenâ, secernitur: ad lamel-
lam exiguam redigitur. Ita se habet
rerum auditarum recitatio. Si deman-
tur ficta, falsa, malè percepta, per con-
jecturas addita: heu quam modicum
puræputæ veritatis remanet? ple-
rumque dimidiam partem confictum
est, quod oratione verbosissima enu-
meratur.

*Verba lingvæ cum sensu
cordis consonent: averse
falsimoniam & mendacium.*

Mendacium quid sit, dictu facile;
non opus longâ disputatione: *aliud
loqui,*

loqui, sentire aliud; mendacium est: contra mentem dicere; mendacium est.

Non aliud pectus tegat; aliud lingua proferat.

Nemo dubitet mentiri eum: qui falsum enunciat, causâ fallendi.

Venarum una linguam cum corde, alia cum cerebro nectit: quâ quidem venarum dispensatione natura nos docet; unum illud membrum ab intellectu sic regendum, ut lingua consentiat cum corde. Hoc enim est mendacium: aliud corde abditum, aliud linguâ promptum gerere: aliquid in animo nigrum credere; sed voce candidum adserere.

Hoc autem ut penitiùs intelligas:
Mendacium statui triplex,
M 6 scien-

sciendum : officiosum , jocosum , perniciosum.

Officiosum dicitur : quod alicui profuturum creditur : ei minimùm , qui loquitur.

Jocosum appellant : quòd nemini nocet ; sed animi causâ profertur.

Quamquam autem mendacium , quod per jocum dicitur , tam malum non est , quam id , quod in perniciem alterius dicitur ; aut ex mera mentiendi libidine : & ipsum tamen , quia mendacium est , peccatum est. Vanitas enim est , & inordinatio ; delectationem ex illa re percipere , quæ abesse ab homine longè debet.

Mendacium tamen jocosum non dicitur : si quis falsum dicat non seriò , sed joco ; ita : ut omnes faciliè intelligant ; aliud illum significare , quàm dicit. Nam cum ibi non sit significatio falsi , mendacium non est : sed id demùm , quod animi , & delectationis
causâ

causâ, falsò quis narrat, quod aliis, ut
ferium, persuasum esse cupit.

Tertium denique mendacium
perniciosum est; quòd semper cum
alicujus damno conjunctum, atq; in-
ter graviora piacula numeratur.

Non est, quòd quisquam, palpum
sibi obtrudendo, officiosum excuset.

Quamquam enim qui peccat, ut al-
teri commodet, minùs peccat; quàm
qui eo fine id non facit: nihilominùs
tamen rectè simpliciter non agit.

*Non enim sunt facienda ma-
la; ut indè eveniant bona.*

Omne ergò mendacii genus sum-
moperè fuge; & nec casu, nec studio,
loquere falsum: cave mendacium in
omnibus.

Adeò vitium hoc est cavendum:
ut, si salus plurium, in unico, idque so-
lùm officioso, mendacio dicendo,
verteretur; id tamen neutiquam lice-
ret dicere. Imò si suos quis parentes,
aliosve sibi conjunctissimos, flammis

demersos, vel levi mendacio extrahere posset: mentiri tamen licitè non posset. satius foret, illos in igne deserre; quàm Deum, falsitate, offendere.

Ecquæ rigida hæc, inqvies, assertio?

Rigida: sed vera.

Nonne legisti? *faciamus mala; ut veniant bona: quorum damnatio iusta est.*

Ita omnis doctrina veritatis auferitur, cedens licentiosissimæ falsitati: si mendacio, vel officioso, alicunde penetrandi aperitur locus. Si temporalia commoda, vel propria, vel aliena, veritati præponit, quicumque mentitur: quid facere potest perverius? Certè injuria Deo illata gravior est, omni malo humano.

Quot millia sanctissimorum Martyrum omnem potiùs sanguinem prodigere, & animam per stillicidia emittere, quàm unico se mendacio tueri, voluerunt.

At si nec ipsa vita præponenda est
veri-

veritati: quid objici potest; propter
quod mentiendū esse contendant, qui
aliquando putant oportere mentiri?

Abfit itaque, abfit mendacium o-
mne! quoniam autorem habet Diabo-
lum; qui in veritate non stetit; nec
veritas est in eo.

Abominatio sunt Domino labia
mendacia: qui autem fideliter agunt,
placent ei.

Si quid tibi, quod vir, cætera bonus,
commiserit, est cognitum, & abs te
charitatis pallio diu tectum; ne illud
iratus elimina: ut affectus & animam
malitiosam in te nemo possit accusare.

Et ne hoc, quod, ne aliis facias, mo-
neo, tibi faciant alii: nemini te totum,
ac tua omnia, concrede; nisi verè pio
& honesto. Eum, non est, quod ti-
meas: quia ex charitate Christiana
(quæ omnis est amicitiae fundamentū)
tibi, fortè delinquenti, libenter igno-
scet, nec ullam inferet injuriam.

Præsentē quoque, nunquam com-
mitte quicquam, quod malum tibi con-
citare,

citare, aut quod tibi, amico mutato in inimicum, timorem possit incutere.

Quod occultum esse optas, occulta ipse; nec hominum ulli revela: memento autem, Deum in densissimas etiam tenebras introspicere.

Alios ne carpe: sed in te ipsum respice.

Mordaces castigatores, & obscenos scurras, fuge. Si quando tamen urbanè joculari volueris; tria tibi propone: *primò*: ne verbis Scripturæ, ad jocos tuos, abutaris; & Religionem tuam ita conspurces.

Quid sentire Deum putas? cùm, in Christiano populo, hæc videt auditq; inter eos, qui plus sapere reliquis volunt: nec tamen pro peccatis hæc unquam reputant. Ut taceam: multos hac ratione gravissimè offendi, scandalo pessimo turbari, & contristari: qui postmodò cā, quā antea, devotione Dei verbalegere, audire, aut orare non possunt. Ipsa etiam natura docet: cum tam sanctis, tam gravibus verbis,

verbis ac rebus, tam negligenter, tam frivole, tam ridiculè, agi non debere.

Qui conscientiam suam consulit: deprehendit, hasce ejusmodi esse obscenitates, stultiloquia & scurrilitates, quæ Christianis non conveniunt.

Secundò, ne joci tui Christianam labefactent charitatem.

Tertiò, ne temerent honestatem & castitatem.

Nunquam de Deo loquere: nisi cum timore & reverentia, & quasi in ejus præsentia: qui certè ubiq; est præsentissimus. Cum enim digni non simus, ut nomen ipsius sanctissimum in ore gestemus: multò minùs convenit, illud ore nostro profanare.

Certa animæ impiæ indicina est: nomen Dei semper, in rebus quibusq; leviculis, adhibere.

Ora igitur cum Davide: *sint accepti*

*cepti sermones oris mei, &
meditatio animi mei corā te.*

Moderatus denique sis in laudando;
in salutando promptus; in reverendo
comis: in monendo humanus; in i-
gnoscendo misericors; in pollicendo
fidelis; in compensando bono para-
tus: nec præmium virtutis converte
in donum favoris.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXXVI.

*De regulis, ad vitam pie
transigendam necessariis,
quoad facta.*

Quoad facta, mi homo! audi &
obedi: *nihil committe ma-
li; etsi possis. Minima enim
peccatorum impunita non di-
mit-*

*mittentur : nisi seriâ pœni-
tentiâ.*

Bona præstare ne gravare.

Nihil, contra vocationem tuam,
perpetra.

Deum precare instanter ; si quid
ordiaris : postmodò opus aggredere
confidenter ; & exitum Deo com-
menda.

Si in vocatione tua quid suscipias :
Divinæ confide providentiæ ; etsi me-
dia videantur insufficientia. Et si spon-
te ea sese offerant ; Divinitùs offerri
statue : nec tamen majorem in ipsis,
quàm in Deo, spem colloca ; sed ora :
ut mediis istis clementer benedicat.

Animum habe cœlestem, in terre-
nis ; & , quæ in te sunt , præsta : cætera
nutui Trinitatis sapientissimo con-
crede.

Nunquam media capesse illicita :
quia lucrum afferre nequit, quod ani-
mæ affert interitum.

Propter hoc, cum Paulo, labora : ut
conscientia tibi sit pura, coram Deo, &
coram filiis hominum. Si

Si quando ad peccata pelliciaris; in vicinia Satanam hospitari, cogita; & ignominiosum esse filiis hominum, æstima, Deo tantoperè amatos & tam blandè habitos, spiritui tam immun-do, in Dei dedecus & ignominiam, gratificari. In Dei ignominiam dico: quia quodvis voluntarium peccatum est in Deum ignominia. Eam nemo principum tolerat; quomodo tolerabit Deus, qui Deus est omnis majestatis & gloriæ; ut ignominia majestati ipsius illata, toties renovata, toties tam securè admisa, impunè abeat?

Quotiescunq; deliberato consilio, contra conscientiam peccatum admittimus: præmittimus quandam animi consultationem. (etiamsi non semper animadvertamus) Hâc trutinatur lance utilitas, voluptas, sive peccati delectatio; istâ detrimentum, ira Dei, & ejusdem offensio. Quæ jam dementia, quæ malitia, quæ ignominia, momentum præponere æternitati, guttulam mari, arenulam monti, libidinem suam Dei omnipotentia & majestati incomparabili?

Nonne


Nonne quoties peccas, pugno vel
ut parricidali Deum infinitum cædis?
O homo!

Tuam semper interroga conscien-
tiam, hæc duo: an, si tale quid tibi ac-
cidat, sis acquieturus? Quid, si tale
quid perpetres, in die, quo totus mun-
dus judicabitur, judici universitatis sis
responsurus: quando omnium redde-
re rationem compelleris?

Memento Iosephi, qui Deum ea vi-
dere cogitabat, quæ nemo videbat
hominum.

*Iustus est Deus: in lucem
protrahet peccata, quæ in oc-
culto peccasti.*

Cùm David Bathsabeam iniquo
concubitu contaminaret: quem, præ-
ter Deum, adulterii spectatorem ha-
bebat? quem, nisi Deum? Protraxit
ille clandestinas voluptates in omnium
Israëlitarum conspectum: & tuum
etiam facinus in omnium aliquando
hominum conspectum producet.

Versu- 

286 CONTEMPLATIONES

Versutus est Satanias: & vel unico,
ut tu quidem tibi blandiens appellas,
peccatillo in rete suum te potest pel-
licere.

Vitare autem si cupis peccatum;
peccandi vita occasionem.

Quod bonum est, propter Deum
tibi placeat; Deus propter semet-
ipsum.

Si Deum habes faventem; nemi-
nem metue te persequentem. Faciet
Deus inimicum vel amicum; vel ita
compescet, ut parùm nocumenti sit
allaturus.

Neminem vincit inimicus; nisi
quem vicit antea peccatum, & Deo
reddidit exosum.

Neminem veneratione ipsi debitâ
defrauda; recale tamen tecum, vene-
rationem magis deberi pietati, quàm
eminentiæ.

Si reclusas in hac vita tuas Deus am-
plificat: irritamētum esse gratitudinis,
cogita, & ad res istas cœlestes deside-
randas incitamentum, adque pietatem
adhortationem.

Nec

Nec ob externa, nec ob interna donate effer. Externa enim ut rarò accidunt & accedunt: ita citò decidunt & abscedunt. Interna Deus dedit quidem: de improvísò tamen potest auferre; si quis iis abutatur, Deique datoris obliviscatur.

Multis præditus es virtutibus? pluribus fortè deformatus es vitiis; quæ magis displiceant, quàm illæ placeant.

Non sufficit, ab aliis commendari; nisi tua te commendet conscientia: fama nulla est diuturna, nisi quam pietas suscitavit.

Vix legemus in sacro Dei Codice; quòd hypocrita fuerit ad pœnitentiam conversus. Et quis miretur! Cùm enim conversio, peccatorum avertendorum sit medium: quid salutis illi reliquum, qui salutis medium, pœnitentiam, in peccatum convertit?

O misera anima, quæ sancta cupit videri, & vitam vivit Ethnicorum!

Observa, quo fine vitam finiant impii; ut vitam eorù detestéris: vide, quâ clau-

288 CONTEMPLATIONES
clausulâ cursum suum concludant pii;
ut eundem decurras.

Obtempera superioribus : honora
prudentes : ad socia te probis , & sacris
rebus deditis.

Cùmque corrupta hominis natura
hypocrisin amet admodum : sacra-
menta nunquam contrecta , nunquam
iis utere ; nisi ipsa cordis penetralia
accuratâ scrutatione penetraveris.

Subditos tibi , magis humanitate ,
quàm severitate , gubernare ad sue sce.

Spe plena est humanitas ; tyrannis
metu.

*Dei justitia pati non po-
test , ut tyrannis duret diu.*

Quamvis enim subditi , legibus &
Divinis & humanis , magistratibus
subjiciantur : tamen & ipsi Dei sunt
ministri. Et si , quatenus Christianos ,
consideres ; non ministri tantum sunt ,
sed & in Christo fratres.

*Imperandum itaq; est Chri-
stianis , ut Christianis , chari-
tate,*

*tate, misericordiâ: ut Chri-
stus suo nos docuit exemplo.*

Judex constitutus, judicium insti-
tue justum: memor, quòd & ipse judi-
cio Divino sis sistendus.

Maledictus, qui maledictis bene-
dicit: benedictus, qui benedictis be-
nedicit!

O homo! vita humana quàm est
periculosa! quàm gravis est ejus ratio
reddenda! quàm breve restat spatium!
à quo tibi ad tribunal accedendum.

Quid faciendum restat? quid præ-
terfluxit jam factum? quomodo con-
sistes; si hac tibi horâ abeundum? si
hoc momento coram Examinatore
comparendum? Valdè subitò de te a-
ctum erit: hodiè homo es: cras an
adparebis?

O hebetudo & duritia cordis hu-
mani; quod solùm præsentia medita-
tur, & non magis prævidet futura!

Sic te in omni facto præstare debe-
res, quasi hodiè esses moriturus.

N

Cum

*Cum manè fuerit ; putes
te ad vesperam non perven-
turum : vespere autem facto,
matutinam tibi horam non
audeas polliceri.*

*Semper paratus esto: Sta-
liter vive ; ut nunquam te
mors imparatum inveniat.*

*Quàm felix & prudens ! qui talis
nunc nititur esse in vita, qualis optat
inveniri in morte!*

*O Jesu ! da mihi perfe-
ctum mundi contemptum : da
mihi fervens in virtutibus
proficiendi desiderium : da mi-
hi amorem disciplina, labo-
rem poenientiae, promptitudi-
nem obedientiae.*

*O, Deus meus ! da cordi
meo*

*meote desiderare, desiderando
quærere, quærendo invenire,
inveniendo amare.*

*Da, Domine! Deus meus!
cordi meo pœnitentiam, spi-
ritui contritionem, oculis la-
crymarum fontem, manibus
eleemosynæ largitatem.*

*Rex meus! exstingue in
me desideria carnis: & ac-
cende ignem tui amoris.*

*Redemptor mei! expelle à me spi-
ritum superbiæ: & concede propitiùs
thesaurum humanitatis tuæ. Salva-
tor mei! amove à me furorem iræ:
& indulge mihi benignus scutum pa-
tientiae. Creator mei! evelle à me a-
nimi rancorem: & largire mihi mitis
mentis dulcedinem.*

*Da, clementissime Pater! mihi so-
lidam*

292 CONTEMPLATIONES
lidam fidem, spem congruam, chari-
tatem continuam.

Rector mei! averte à me vanita-
tem, mentis inconstantiam, cordis va-
gationem, oris scurrilitatem, oculo-
rum elationem, ventris ingluviem, op-
probria proximorum, scelera detra-
ctionum, curiositatis pruriginem, di-
vitiarum cupidinem, honorum ra-
pinam, inanis gloriæ appetitum, hy-
pocrisis malum, adulationis venenum,
contemptum inopum, oppressionem
debilium, avaritiæ ardorem, invidiæ
rubiginem, blasphemiae morsum.

Reseca in me, factor mei! temeri-
tatem, iniquitatem, pertinaciam, in-
quietudinem, otiositatem, somnolen-
tiam, pigritiam, mentis hebetudinem,
cordis cæcitatem, sensus obstinatio-
nem, morum truculentiam, boni ino-
bedientiam, consilii repugnantiam,
lingvæ futilitatem, pauperum præ-
dam, impotentum violentiam, inno-
centum calumniam, inferiorum negli-
gentiam, circa domesticos crudelita-
tem,

tem, adversus familiares impietatem,
erga proximos duritiam.

Deus meus! misericordia mea! oro
te, per dilectum Filium tuum: da mihi
misericordiae opera, pietatis studia:
compati afflictis, consulere erroneis,
succurrere miseris, subvenire egenis,
consolari mæstos, relevare oppresos,
pauperes recreare, debiles refovere,
dimittere debitoribus, parcere in me
peccantibus, odientes me diligere, pro
malis bona reddere, neminem despi-
cere, sed honorare; bonos imitari,
malos cavere, virtutes amplecti, vitia
rejicere. Da, in adversis patientiam,
in prosperis continentiam; custodiam
oris, & ostium labiis meis: rectitudi-
nem operis, & verum testimonium
fidei meae; terrena calcare, coelestia
sitire: ut dicas aliquando mihi: *Euge!*
serve bone & fidelis, in modi-
co fidelis fuisti; super mul-
tum te constituam: intra in
gaudium Domini tui.

294 CONTEMPLATIONES
CONTEMPLATIO.
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXXVII.

*De ingenti multitudine Dei
beneficiorum, & hominis ea
spernentis multitudine pec-
catorum.*

Q Vis dabit capiti meo aquam, &
oculis meis fontem lacrymarum?
& plorabo die & nocte. Deducant o-
culi mei lacrymas, & palpebrae meae
defluant aquis. Conferam me in lo-
cum fletuum: laborabo in gemitu
meo; lavabo per singulas noctes le-
ctum meum; lacrymis meis stratum
meum rigabo. Erunt mihi lacrymae
meae panes mei die ac nocte: & gemitum
meum non abscondam. Proster-
nam me, & dimittam habenas lacry-
mis: & prorumpent flumina oculo-
rum meorum: flebo amarissimam con-
tritionem cordis mei. Plorans plorabo:
& la-

O.
O.
& lacrymæ meæ erunt in maxillis meis,
quibus peccata mea deplorabo gravis-
sima; & impiam ingratitudinem, quam
Deo & Domino meo reposui, dete-
stabor.

Dei
ea
Ah! utinam deficerent præ lacry-
mis oculi mei; viscera mea conturba-
rentur; & secur meum in terra effun-
deretur, super enormitates meas!

m, &
rum?
anto-
meæ
in lo-
emitu
es le-
ratum
rymæ
gemi-
oster-
acry-
culo-
con-
rabo:
& la.
Multæ & graves sunt causæ, ô Do-
mine! propter quas oculi mei aquas,
imò sanguinem, stillare deberent. Ni-
hil autem jam contemplabor; nisi ma-
gnitudinem & multitudinem benefi-
ciorum tuorum, quibus me, adhuc ini-
micum tuum, affecisti.

Ut igitur anima mea confundatur,
genæ meæ erubescant, oculi conci-
dant occlusi, egoque malitiosam &
contaminatissimam vitam meam odio
prosequar æterno: incipiam percen-
sere tua benefacta, & mea malefacta:
ut videam, quis tu sis? quis ego sim?
quid tu mihi præstiteris? quid ego tibi
reddiderim?

Demitte de cœlo Spiritum tuum

296 CONTEMPLATIONES

ctum, veritatis doctorem: & operare
in immiti duroq; corde meo intimam
& Divinam pœnitentiam, cuius mei
nunquam pœniteat.

Jam, ô Divini amor Numinis! Pa-
tris omnipotentis Prolisqve beatissi-
mæ sancta communicatio! omni-
pens Paraclete, Spiritus! cordis mei pe-
netralibus potenti illabere virtute, &
tenebrosa quæq; latibula, corusci lu-
minis fulgore, habitator irradia.

Veni jam, veni benignissime do-
lentis animæ consolator! protector
in opportunitatibus, & in tribulatione
adjutor.

Veni mundator scelerum! curator
vulnerum!

Veni fortitudo fragilium! releva-
tor labentium.

Veni humilium doctor! superbo-
rum destructor!

Veni! ô orphanorum pie pater!
viduarum dulcis iudex.

Veni spes pauperum! refocillator
deficientium.

Veni navigantium sidus! naufragii
por-

portus! Veni omnium viventium singulare decus! morientium unica salus! Veni, sanctissime Spiritus! Veni & miserere mei.

Apta me tibi, & condescende propitiùs mihi: ut mea tuæ magnitudinì exiguitas, roborique tuo mea imbecillitas, secundùm multitudinem tuarum complaceat miserationum.

Tempus fuit, Deus meus! qvo ego non fui, qvòqve recordari non possum; & tu, ut essem, me fecisti: formasti me ex terræ gleba; & ad tuam me imaginem & similitudinem creasti.

Eduxisti me ex utero matris meæ; spes mea fuisti ab uberibus matris meæ: in te projectus sum ex utero. Ab eo enim tempore, qvo primum vitales hausi auras, & hanc mundi tabernam intravi, animaq; corporeum incescit tabernaculum, pater meus es; redemptor meus es; protector meus es; salvator meus es; auxiliator meus es.

Creasti corpus meum, & omnia corporis membra; dedisti animam mihi, & omnes animæ virtutes; & con-

298 CONTEMPLATIONES
servâsti in hanc usque horam vitam
meam benignissimè.

Addidisti aliud beneficium, quod
longè est cæteris pretiosius: ut arctius
me tibi devincires. Descendisti, ô
Deus meus! de cælo: &, ut me inve-
nires, ubique me perditum quæсивisti.
Incarnatione tuâ infirmam & miseram
meam carnem, ex ignominia & abje-
ctione, in quam Diaboli seductilibus
suggestionibus inciderat, eruisti: san-
ctissimâ nativitate tuâ, nativitatem
meam peccaminosam sanctificâsti.

Captivitate & vinculis tuis, ex vin-
culis concatenatorum peccatorum
meorum, me exsolvist.

Dum in manus peccatorum te tra-
didisti; ex peccati me potestate eripu-
isti; in forma carnis peccatricis, vitam
meam sceleratam, quippe opus Sata-
næ, abolevist.

Ingenti isthac misericordiâ arctis-
simè me tibi obligâsti: beneficiis istis
ad te allexisti: grandibus istis meritis,
spem confirmâsti & stabilivisti. Exci-
tare in me voluisti odium & detesta-
tionem

tionem peccatorum: quia tot ac tanta laborasti, & sustinuisti; ut cœlesti me Patri tuo reconciliares, regnumque peccati everteres.

Ita carbones candentes congregasti super caput meum; quibus accenderes cor meum: ut, obrutus quasi misericordiæ operibus, quæ in redemptione hactua includuntur, cum toto corde diligerem, qui totus me dilexit, & se totum mihi impertivit.

Redemisti me, Domine, Deus meus! cui autem bono, nisi me baptizari permisisses?

In tanta igitur multitudine hominum infidelium, ut ex fidelibus prognascerer parentibus, voluisti: & præ omnibus incredulis, Ethnicis, Turcis, Judæis ita me beasti; ut per lavacrum in verbo, & juxta verbum tuum, renascerer, & Christum meum, cum omnibus beneficiis suis, induerem.

Ibi adoptasti me in filium, & hæredem me constituisti: ibi fœdus initum inter nos illud mirabile; ut ego tuus essem, & tu meus eses: ut tu meus

300 CONTEMPLATIONES
esfes Dominus; & ego tuus essem ser-
vus: ut tu meus esfes Pater; & ego
tuus essem filius. Ibí ita inter nos con-
stitutum est: ut tu paternum mihi ani-
mum declarares; & ego filiali te ob-
servantiâ audirem.

Ecquid sacramentum commemo-
rem aliud? quod constituisti; ut salu-
tare esfet peccatorum pharmacum;
quæ, ceu infelicia & pestifera mea vul-
nera, per sanguinem tuum, sanares, &
subindè me magis magisq; perficeres.

Etiam si autem tot abs te accepi be-
neficia, tot in promptu habui contra
peccatum antidota: in obedientia ta-
men non perseveravi; sed foedus illud
sæpè violavi: & tamen tam fuisti mise-
ricors, tam clemens; Deus! ut meam
inobedientiam sustineres.

O salus & spes mea! Deus! quo-
modo misericordiam & clementiam
tuam absq; lacrymis commemorem?

Quoties me, utpote justus iudex,
occidere & annihilare debuisses? &
nihil horum mihi evenit. Quot millia
animarum jam in infernum sunt de-
trusa,

trusa, æternis flammis & suppliciis affi-
cienda? quæ peccatorum meorum nu-
merum & gravitatem non attigerunt;
& ego nondum concremor! Quid de
me factum fuisset; si unà cum ipsis me
excidisses?

Quàm horrendū, mihi esset iudicium
pertimescendum; si immutabilis & se-
vera iustitia tua, secundum fœditatem
iniquitatum mearū, me plectere volu-
isset? Qvis tibi, Deus meus! manus il-
las tuas ligavit? Qvis fuit interces-
sor meus? cū somnum ego peccato-
rum securissimè dormirem. Qvis fla-
gellum iræ tuæ continuit? cū de die
in diem te provocarem, & impelle-
rem?

Quid placuit tibi in me? quid tam
acceptum tibi in me fuit? ut parceres
mihi: cū extirpares alios; quos, in
cœno peccatorum sese volutantes, in
medio dierum suorum, ad tribunal
tuum iustissimum propellebas.

Clamabant peccata mea in cœlum;
& tu aures tuas obturabas: malitia mea
quotidiè multiplicabatur; & tua simul

302 CONTEMPLATIONES
multiplicabatur misericordia. Pecca-
bam ego; & tu me expectabas: fu-
giebam te; & tu appropinquabas ad
me: toties te ad iram provocabam, ut
provocando defatigarer; & tu mise-
rendo non defatigabaris: quasi mea
tibi transgressiones placerent; quæ
abominabiles erant in te ingratitude.

In pleno transgressionum mearum
curriculo, multas mihi bonasque sug-
gestisti cogitationes, ac utiles submi-
nistrasti admonitiones; quibus à trans-
gressionibus me abduceres.

Quoties, stans ante ostium cordis
mei, pullasti, & clamasti? *reverte-
re, revertere, fili degener!*
nec dirigam contra te faciem
meam; modò agnoscas pec-
cata, quibus offendisti Deum
tuum. Quoties, voce hac amabilis-
simâ, ad te me vocasti? quoties me co-
hortatus es, magno timore, minis ter-
ribilissimis, expectatione quotidiana,
imò

imò perpetui, mortis & iudicii immisericordis, periculi?

Quot largitus mihi es concionatores? quot doctores mihi constituisti? qui partim doctrinâ, partim exemplo viam mihi, quam ingrederer, ostenderent?

Allexisti blandissimis me compellationibus; castigasti morbis me periculosis; & calamitatibus aliis: neque quicquam intermisisti eorum, quibus ab aviis in viam reduci possem.

Quid retribuam tibi, Domine! pro omnibus, quæ tribuisti mihi?

Quia creâsti me; me, & omnia, quæ possideo, tibi debeo: me enim, & omnia, quæ possideo, fecisti.

Quia conservasti me: denuò me, & mea omnia, tibi debeo.

Ipsam te insuper, Domine! in magnam mihi & copiosam mercedem dedisti: quid reddere tibi ego possum?

Si omnes Angelorum omnium vitæ, si omnes hominum omnium animæ, in mea essent manu, egoque eas tibi offerre constituerem: sum unica
sangvi-

304 CONTEMPLATIONES
sanguinis, pro me effusi, gutta in com-
parationem venire haudquaquam pos-
sent.

Queror igitur meritissimo meo, &
ingemisco : quis dabit capiti meo a-
quam, & oculis meis fontem lacryma-
rum? & plorabo die & nocte: & de-
plorabo abominandam ingrati-
tudinem meam; quâ ego, Creator opti-
me! creatura tua, tot & tanta, tamque
incomprehensibilia beneficia sum
prosecutus.

Juva me, Deus meus! tuam mihi
gratiam imperti: ut praevaricationes
meas tibi contritione intimâ cōfitear.

Ah! Domine: creatura ego sum
tua, etsi jam infelicissima, & te Crea-
tore indigna. Secundum imaginem &
similitudinem tuam creâsti me: respice
me, Domine! Aufer à me, quicquid
ego invexi: & nihil invenies, nisi quod
bonum, quodque ipsemet concessi-
sti, bonitatis omnis architectus o-
ptimus.

Omnibus cheu! viribus sanctæ vo-
luntati tuæ restiti; & multum laboravi,
ut

ut tibi repugnarem : Eheu ! quantam
in me iram securè concitavi !

Festinârunt pedes mei ad mala : parârunt se manus meæ ad damna , ad avaritiam , ad quasvis impuritates : converterunt se oculi mei ad vanitatem : audiverunt aures meæ mendacia , scurriles confabulationes , calumnias , convicia.

Anima ipsa nobilissima , & cœlestibus tuis ministris vicina , quæ te contemplari , te intueri , te videre debuisset , avertit se à pulcritudine tua ineffabili ; & ad blandientem fallentemq ; mundi pulcritudinem se convertit , & id egit sollicitè : ut hujus mundi bonis fragilibus ad libidines abuteretur : quod quàm grave & noxium sibi esset , non ignorabat.

Ecce hic est intellectus animæ meæ !
quid boni ex voluntate proveniat ?

Inclinâsti , Domine ! arbitrium meum ad bona cœlestia : sed declinavit ad terrestria ; & amor caduco totum se mancipavit.

Hæc est , Domine , gratia illa , quam
pro

306 CONTEMPLATIONES
pro donis tuis pretiosissimis, tibi re-
posui.

Quid respondebo tibi, ah! Domi-
ne! si ad tribunal me tuum voces, di-
casque: plantaveram ego te vitem ge-
nerosam, totum semen fidele: quo-
modo ergo mutatus es mihi in dege-
neres palmites vitis alienæ?

Quòd si tam turpiter ego sto in
examine beneficii creationis: quid fu-
turum; si ratio mihi sit reddenda be-
neficii conservationis?

Conservâsti enim eum tot dies, tot
menses, tot annos: qui omnes sensus
suos contemtui & despectui mandato-
rum tuorum dicavit; qui servos tuos
est persecutus; qui sanctorum tuo-
rum communionem scandalizavit;
qui regnum peccatorum stabilivit &
ampliavit.

Servâsti linguam; quæ te blasphe-
mavit, & nomen tuum assumsit in va-
num: servâsti membra; quæ vehemen-
tissimè te offenderunt: dedisti cibum
potumque illi, qui abusus iis, ad tui i-
gnominiam.

Non

Non ingratus solum fui; sed beneficiis etiam tuis me contra te armavi.

Omnes mihi creasti creaturas, quæ commodis meis inservirent, meq; ad amorem tui attraherent; ego creaturas adhibui in odium tui inexcusabile.

Quæ ad pulcerrimam sapientiam tuam considerandam me adducere debuissent, me occæcarunt: nec oculos sustulerunt meos, sed depresserunt: ne colligerem, quantum creator tot creaturas formosas & decoras superaret. Creavit enim eas omnis formositatis, omnis decoris artificiosissimus magister.

Omnia mihi tradidisti; ut me tibi traderem, & consecrarem: omnia mihi servire voluisti; ut ego tibi servirem: qui toties de te ne cogitavi quidem.

Adstiterunt tuæ mihi, mandatu tuo, creaturæ ad nutum: ego, ah! mandata tua audacter renui.

Sanitatem mihi corporis concessisti: usum ego ejus concessi Diabolo.

Robur mihi, intellectum, & voluntatem

308 CONTEMPLATIONES
tatem integram dedisti: dedi ego ea
ministerio iniquitatis.

Et quid dicam? Quot vidi aliorum
pericula atque damna; tot tua in me
vidi beneficia; quia periculis atque
damnis istis me obruere noluisti.

Si, quæ merebar, immittere mihi
voluisses; digniorem me, quam alios,
tot miseriis invenisses: sed misericor-
dia tua est, Domine! quod non con-
sumtus sum.

Bestiæ beneficiis domantur, cicu-
rantur, & ad ministeria ac obsequia
hominum advesiunt: & tua me bene-
ficia non domuerunt, non permove-
runt; ut dicerem in corde meo: me-
tuamus Dominum Deum nostrum;
qui dat nobis pluviam tempestivam, &
serotinam, in tempore suo, plenitudi-
nem annuæ messis custodiens nobis:
qui omnibus nos ditat benedictioni-
bus; qui à primo nos ortu servat ad ul-
timum usque vitæ halitum.

Nonne hæc oculis animoque meo
gratiam & misericordiam tuam pro-
ponere debuissent?

Si

Si autem tibi tantoperè sum ob-
strictus, propter ea beneficia, quæ
unius vi verbuli produxisti: quid tibi
debebo, quòd pretiosissimo unigeniti
Filii tui sanguine, à morte æterna & à
damnatione, me redemisti?

Ah! quantum consilium tuum sa-
pientissimum neglexi! quantum ado-
randam illam tuam, O Jesu! incarna-
tionem fui aspernatus?

Tu, Deus meus! homo factus es;
ut Divinæ me naturæ faceres partici-
pem: & ego perversissimus in bestiam
sum commutatus; instrumentum sum
factus Diabolorum.

Ex gloriosissimo Patris cœlestis so-
lio, ad me in solum descendisti: & ego
ad te me non elevavi, nec ascendere
tecum volui; sed profundius, operibus
carnis, in terram me defixi, & in cœ-
num fœdissimarum iniquitatum me
depressi: in quibus me diu volutavi.

A potestate Diaboli me redemisti:
& ego sponte meâ laqueis me diabo-
licis irretivi.

Unum es corpus mecum factus: &
ego

310 CONTEMPLATIONES
ego peccatis me voluntariis abs te
avulsi; & corpori malignantium me
adglutinavi.

Tot me magnalia impellere non
potuerunt; ut te agnoscerem: tot
amoris tui testimonia saxum cordis
mei emollire non potuerunt; ut te red-
amarem: tantum tuum meritum eri-
gere me non potuit; ut omnem in te
spem collocarem.

Accuratissima illa tua justitia, quæ
multis modis, ex opere redemptionis,
elucet, tenere me non potuit: ut per-
penderem plagas & penas, quibus,
pro me, Filium dilectissimum cumula-
bas; & exclamarem: *si in viridi
ligno hæc faciunt; in arido
quid fiet?*

Tot cruciatus & tormenta persua-
dere mihi non potuerunt; ut in me de-
scenderem, & pensitarem: quo pecca-
tum odio prosequaris: propter quod
ipsum Filium tuum affligi crudelissi-
mè, permisisti.

Expa-

Expavescere utiq; super his debuif-
sem, & revereri nomen tuum.

Ita te, Jesu meus! humiliasti; ut,
qui considerat, admiretur, & pavidus
te intueatur: ego autem superbivi; &
hoc quoque tempore aliis me, eheu!
sæpè præfero.

Nudus in ligno pendebas: ego au-
tem non contentus vestitu eo, qui ad
regendum necessarius, luxum & super-
fluitates quæsi: & mollissimè corpus
habui lutosum & damnosum.

Sitim tolerabas intolerabilem, in
plagis & angustis extremis; ac fel-
mixtum aceto accipiebas: ego autem
meris me saginare volui cupediis, quasi
ad mactationem: crapulâ & ingurgi-
tationibus me oneravi, & ad libidines
animavi.

Ferebas omnia, quæcunque tuus ti-
bi Pater imponebat; nec ferre desi-
nebas, antequam verè posses dicere;
consummatum est: ego autem,
pro te, pauxilla ferre, molestum mihi
duco & tædiosum.

Cola-

Colaphos tu, qui benedictus es Dei Filius, ab impiis sustinuisti: ego vel digitulo tactus, vel verbulo laesus, in iram exardesco, & acerbissimè indignor: cum vermis sim, nec hominis dignus nomine; & turpissimis meis flagitiis non ignominiam tantum abjectissimam, sed inferorum etiam poenas & ludibria commercer.

Et quid de vita mea pessima dicam ulterius? mori voluisti; ut ego, mortuus peccato, viverem iustitiæ: ego autem, nixus hac tuâ misericordiâ, videns volensque in peccata irruì. Quâ deteriore te ignominiâ potuissim afficere?

Misericordiam tuam feci ansam mearum impuritatum: & tam pretiosæ redemptionis medium, quod peccata cuiusvis invisa reddere debuisset, ad peccatorum confirmationem, & continuationem, adhibui.

Quia tam clemens eras & misericors; peccata mihi esse licita, putabam: & cum tot mihi dona exhiberes; infamibus ea factis sum remuneratus:
adeò

adeò ut peccatorum remedium in peccati medium converterem, & gladium, quem ad repellendos Diaboli insus mihi suggessisti, in me ipsum stringerem, meq; penè eo perderem.

Unicus es, Domine! qui pro nobis omnibus es mortuus: ut, qui vivunt, non vivant sibi; sed illi, qui pro nobis mortuus est & resuscitatus: ego autem hæc omnia invertens, mihi vixi, & cupiditatibus meis: quasi eum in finem mortuus esses, ut, animum meum explens, in desideriis carnis viverem, &, gratiâ tuâ abusus, malorum telam pertexerem.

Ah! quanta est patientia tua, Domine! quòd colaphos pro me sustines! quantò verò major est patientia tua, quâ tot sustines in mundo peccatores; qui meris te colaphis cooperiunt!

Perpetuâne verò hæc tua erit patientia?

Memini, quid impœnitentibus miniteris. Video, quòd terra, quæ, pluviis irrigata, fructû non producit, maledictione punitur: video, quòd vinea,
O probè

314 CONTEMPLATIONES
probè quidem culta, sed tamen infru-
gifera, devastatur & conculcatur.

O durum! ô ferreum cor! ô inuti-
le & aridum lignum! nonne contre-
miscis, si vocem audis Dei omnipo-
tentis: omnem palmitem, non feren-
tem fructum, tollet Pater meus! si quis
in me non manserit, mittetur foras,
sicut palmes: & arefcet; & colligent
eum, & in ignem mittent; & ardebit.

¶ Quis tam securo homini, qui tam
horribile iudicium non exhorrescit,
metum injiciet? quàm surdus est & ve-
cors, qui non audit vocem hanc! quan-
to verno hic immersus? quanto le-
thargo sepultus? qui non hoc excita-
tur tonitru.

Ah! Domine! delectavit me ha-
tenus terrestre hoc tabernaculum:
inter spinas & tribulos ambulavi, qui
semen verbi tui in me suffocârunt; ut
nulla in me cognoscendæ voluntatis
tuæ fuerit cupiditas. Cupiditates meæ
me seduxerunt; desideria mea me cir-
cumagitârunt; cogitationes meæ me
disturbârunt; vermis conscientia meæ
me

me admordit: & hæc omnia reputavi
pro securis deliciis, turbasque pacem
æstimavi.

Quid faciam, Deus meus? quid fa-
ciam? fateri cogor: dignum me non
esse, qui ad faciem tuam adpaream.

Erubesco, præ injustitia mea, meos
ad te oculos elevare: non audeo eos
attollere; ut quæram gratiam & beni-
gnissimam faciem tuam. Si debitâ me
vis poenâ afficere: nec cœlum, nec ter-
ra me contegent. At nec vis, Domi-
ne! Deus meus! ut quisquam pereat;
sed ut omnes convertantur & vivant.

Creâsti me ad laudem tuam: quis
verò Te apud inferos, qui te blasphe-
mant, laudabit? Tantum pro me ly-
tron solvisti! si autem in afflictissimis
hisce angustis me rejicias, quis re-
cipiet?

Si me tanto pretio redemptam crea-
turam tuam repudies, quis juvabit?

Ah! utique es Pater meus, Pater il-
lius misericordiæ, quæ est immensura-
bilis, quæ est infinita.

Et quamvis inobedientiâ meâ jus
O 2 hære-

hæreditatis amiserim : non tamen, ô Pater meus ! cor tuum paternum amisisti : quamvis abs te, Pater ! defecerim ; non tamen tu, Pater ! deficies, aut Pater esse desines. Non desit verbum illud : *vivo ego ! nolo mortem peccatoris : sed ut convertatur, & vivat.*

Et quamvis innumerabilia sint peccata, & vulnus meum videatur insanabile : non tamen tu nescis modum, quo mihi medearis.

Confirma igitur, & imple promissa tua : sanguine Filii tui me lava efficaciter : ne in casum, quoad me, sit mortuus.

Tàm ego sum de carne ejus, & ipse de carne mea ; quàm Petrus, quàm David, quàm Paulus : tàm meus est Immanuel ; quàm aliorum.

Portavit totius mundi peccatum : portavit ergò & meum.

Respice ergò, ah ! respice Domine ! ovem hanc perditam : respice crea-

creaturam tuam: nec in furore tuo argue, quem manu tuæ plasmaverunt.

Suscipe, Jesu Christe! animam, quam redemisti.

Adrepo quidem ad te plurimis faucibus vulneribus: sed tu, Medicus animarum, & Magister infirmorum experientissimus, sanare ea potes omnia.

Venio occæcatus; tu me potes illuminare: venio mortuus; tu potes vivificare: venio leprosus: tu potes purificare.

Asperge me hysopo; & mundabor: lava me; & super nivem dealabor.

O Deus meus! Deus vitæ meæ! misericordia tua major est peccatis meis; clementia tua excedit omnes iniquitates meas.

Plus potes, Domine! remittere; quàm ego peccare: misericordia enim tua fundo & numero caret: mea autem peccata, quotquot sint, quanta quanta sint, fundum habent & numerum.

Eripe ergò me, & libera me.

Remitte mihi magnam meam in-

O 3

justi-

318 CONTEMPLATIONES
justitiam : aufer cor durum & saxe-
um; & crea in me cor molle & mun-
dum : ut, adhuc in hac vita, tibi agam
gratias, alios peccatores fide & vitâ
meâ ad te adducam; &, cum Angelis
tuis, pro hoc & aliis beneficiis innume-
rabilibus, te celebrem, & glorificem
in æternum. Amen, Deus meus! fiat,
Jesu Christe! Domine meus! fiat!

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI
XXXVIII.

*De Peccatorum magnitudi-
ne ac fœditate; & de eorum-
dem confessione.*

HOrreo temeritatem meam:
cùm mecum reputo, quàm Ma-
jestatem meis peccatis offenderim:
cùm considero; quàm benignum ac
mirificum Patrem reliquerim! Dete-
stor ingratitudinem meâ: cùm anim-
adverto, à quàm beata libertate Spi-
ritus,

ritus, in quam miseram servitutem me
conjecerim.

Damno amentiam meam, totusq;
mihi displiceo : nec aliud ob oculos
versatur, nisi Gehenna & desperatio;
videlicet terrente conscientiam meam
inevitabili Divinâ justitiâ.

Quasi *putredo* consumendus
sum ! Verè *putredo* peccatum est :
aufert enim animæ decorem vitæ, o-
dorem famæ, valorem gratiæ, saporem
gloriæ. Verè *cœnum* est : in quo
volutatus & probis hominibus, & bo-
nis Angelis, & justo Deo, redditur ab-
ominabilis. Verè *fumus* est : ignem
infernale haud longè abesse indicans,
& columbam cœlestem depellens.
Verè *taberna Diaboli* est : in qua
mundo vendit vinum voluptatis, pro
precio animæ. Verè *sagitta* est :
quâ anima confoditur, & omni vigore
ac vitâ privatur. Verè *morbus* est :
O 4 quia

320 CONTEMPLATIONES

quia sanitatem in carne, à facie iræ Divinæ, non relinquit, nec pacem ossibus concedit. Verè *pelagus* est: quia caput supergreditur, & hominem facillimè absorbet totum. Verè *onus* est: quia peccator eo maximè gravatur, & ad imum usq; barathrum detruditur.

Qvò autem me conferam? qvò me recipiam?

Miserere mei, ah! miserere mei, secundùm magnam misericordiam tuam: & secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

Tibi, tibi soli peccavi, & malum coram te feci.

Ecce! in iniquitatibus conceptus sum; & in peccatis concepit me mater mea,

Erravi, sicut ovis, quæ periit: quare ovem perditam, Domine! delicta juventutis meæ, & transgressiones meas ne memineris, Domine!

Deli-

Delicta quis intelligit? ab occultis
meis munda me.

Ne intres in iudicium cum servo
tuo: quia non justificabitur in conspe-
ctu tuo omnis vivens.

Reminiscere miserationum tuarum,
Domine! & misericordiarum tuarum,
quæ à seculo sunt.

Secundùm misericordiam tuam,
memento mei: propter bonitatem tu-
am, Domine!

Propter nomen tuum, Domine!
propitiaberis peccato meo.

Mirifica misericordias tuas; qui sal-
vos facis sperantes in te.

Ne avertas faciem tuam à me: neq;
abjicias, in ira tua, servum tuum: quo-
niam non est in morte, qui memor sit
tui; nec in inferno quisquam confite-
bitur tibi.

Quæ utilitas in sanguine meo? dum
descendo in corruptionem. Numquid
gratias aget tibi pulvis, aut annuncia-
bit veritatem tuam?

Respice & exaudi me, Deus meus!
illumina oculos meos: ne obdormiam
in morte.

O s

Ne

Ne longè facias miserationes tuas
à me : misericordia tua , & veritas tua
semper custodiant me. In te, Domi-
ne ! speravi, non confundar in æter-
num.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XXXIX.

*De Dei, ad peccata remit-
tenda promptitudine, & , pro eo-
rundem remissione, gratia-
rum actione.*

Q Vis desperet ab eo veniam, qui
in litteris Prophetis toties ul-
trò invitat peccatores ad pœniten-
tiam, clamans; se nolle mortem pec-
catoris; sed magis, ut convertatur &
vivat?

Tùm, quàm parata sit apud se venia
resipiscentibus, multis parabolis no-
bis inculcavit, per Unigenitum suum:
velut

velut drachmæ perditæ & inventæ;
ovis ab errore humeris reductæ: sed
evidentiùs filii prodigi: cujus imagi-
nem in me prorsus agnosco. Tàm
promptus ad peccandum est nemo: quin
tu, Deus optime & clementissime! ad
peccatum in tempore condonandum
sis longè promptior.

Miserator & misericors est Dominus,
tardus ad iram, & multùm misericors.

Non in perpetuum contendit, neq;
in æternum irascitur.

Quoniam sicut altius est cælum
terra: sic prævalere fecit misericor-
diam suam super me.

Quantùm distat Ortus ab Occidente;
tàm longè fecit à me iniquitates meas.

Quomodo miseretur pater filio-
rum: ita misertus mei est Dominus.

Lavit me ab iniquitate mea: à pec-
cato meo mundavit me. Cognovit
ipse figmentum nostrum: recordatus
est, quòd pulvis sum.

Quare tristis es, anima mea! & qua-
re conturbas me? Revertere, anima
mea! in requiem tuam; quia Dominus

324 CONTEMPLATIONES
benefecit tibi : eripuit animam de
morte, oculos meos à lacrymis, pedes
meos à lapsu.

Beati, quorum remissæ sunt iniqui-
tates, & quorum tecta sunt peccata!
Beatus vir, cui non imputavit Domi-
nus peccatum !

Exultate iusti, in Domino; rectos
deceat collaudatio.

Gustate & videte; quoniã suavis est
Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.

Benedic, anima mea! Domino; &
omnia, quæ intra me sunt, nomini san-
cto ejus: qui propitiatur omnibus ini-
quitatibus tuis; qui sanat omnes infir-
mitates tuas; qui redimit de interitu
vitam tuam; qui coronat te misericor-
diâ & miserationibus.

Bonitas & misericordia subsequen-
tur me, omnibus diebus vitæ meæ; &
habitabo in domo Domini, in longi-
tudine dierum.

Obsecro te, & obtestor, Deus! per
mortem Unigeniti tui dilecti; imperti
mihi Spiritum tuum; qui purificet cor
meum, suâq; gratiâ confirmet: ne re-
labar,

labar eò per incogitantiam meam, unde sum à tua clementia revocatus.

Cor mundum crea in me, Deus!
& Spiritum firmum renova intra me.
Redde mihi gaudium salutis tuæ; &
Spiritu ingenuitatis sustenta me.

Lava me quotidiè, quotidiana peccata condonando: transfer me à paludibus seculi hujus, & luto vitæ præsentis, ad purissimum gloriæ tuæ regnum; ubi nemo immundus; ubi nullo amplius opus est lavacro, configurato corpore claritatis tuæ corpori nostro.

Necesse est, ut impleas, secundum promissa tua, & hoc, quod cœpisti in me, bonum opus, & perficias solidè; per Christum, unicum Dominum & Salvatorem nostrum. Amen.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XL.

*De digna ad S. Synaxin
præparatione.*

O 7

Introit.

INtroibo ad altare Dei, & ad Deum,
 qui lætificat juventutem meam.

Depositis inveteratæ iniquitatis
 exuviis, renovabo, ut aquila, juven-
 tem! cœleste illud adire convivium
 festinabo.

Convivium præparatum est pingve
 & opiparum: quod medicina est ægro-
 tis; peregrinantibus via; convivium,
 quod debiles confortat, valentes dele-
 ctat, langvorem sanat, sanitatem ser-
 vat: convivium, quo homo fit man-
 suetior ad correptionem, patientior
 ad laborem, ardentior ad amorem, sa-
 gacior ad cautelam; ad obedientiam
 promptior, ad gratiarum actiones de-
 votior; convivium, quo dimittuntur
 quotidiana peccata, expelluntur pote-
 states Satanæ, dantur vires ad ipsum
 etiam martyrium subeundum; convi-
 vium, quo minuitur, in minimis pec-
 catis, sensus, in gravioribus autem tol-
 litur omninò consensus: convivium
 denique, quo afferuntur omnia bona;
 quia homo communicans in id trans-
 it, quod sumit.

Con-

Convivium hoc, cum Ahasveri comparatum convivio, solum sapit; cum mensa in deserto, Israëlis posita progeniei, collata solum reficit. Etsi enim mensa ista hujus nostri convivii Eucharistici continuit figuram; quando manna Deus Patribus in deserto pluebat, ipsiqve quotidiano cœli pascebantur alimento, ac homines panem manducabant Angelorum: tamen qui panem illum manducabant, moriebantur: iste verò panis vivus, qui in lautissimo hoc epulo adponitur, de cœlo descendit, & mundo tribuit vitam.

Manna illud de cœlo: hoc super cœlum. Illud scatebat vermibus, in diem alterum reservatum: hoc ab omni corruptione alienum. Quicumq; religiosè gustaverit: corruptionem non videbit. Illud datum fuit antiquis, post transitum maris rubri, ubi, submersis Ægyptiis, liberati sunt Ebraei: ita hoc cœleste manna non nisi renatis præstari debet.

Panis ille corporalis populum afflic-
tum

328 CONTEMPLATIONES

Etum ad terram promissionis, per desertum, eduxit: hæc esca cœlestis afflictos huius seculi, per desertum trans-euntes, in cœlum subvehit. Illi mensæ Moses præerat: præstò hic est ipse Christus; qui ornavit hanc mensam, qui consecravit. Non enim homo est, qui in propositis, pane & vino, corpus & sanguinem Christi distribuit; sed ipse Christus: qui pro nobis crucifixus est. Sacerdotis ore verba proferuntur: at Dei virtute ea, quæ proponuntur, cōsecrantur, interveniente verbo, quo dicit: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hic est calix N. T. in meo sanguine, qui pro vobis effunditur.

Christus est, in quo habitat omnis plenitudo Dei corporaliter: qui Dei est virtus; cui data omnis est potestas in cœlo & in terra.

Hic, finem legalibus ceremoniis impositurus, parari sibi voluit Pascha: &, priusquam damnationis suæ dictaretur sententia, ac ipse in cruce figeretur, ex consuetudine legis ea iussit ad parari, quæ sollemnitas exigebat; agnum
nempe

nempe asum, panes azymos, & lactucas agrestes. Cœnâ ita dispositâ, inter Sacramentales epulas, obviârunt sibi instituta antiqva & nova: & consumto agno, quem antiqva traditio proponebat, inconsumtibilem cibum magister adponit discipulis: nec jam, ad elaborata impensis & arte convivia, populi invitantur; sed immortalitatis alimonia datur, à communibus cibis differens, corporalis substantiæ retinens speciem; sed virtutis Divinæ invisibili efficacîâ probans adesse præsentiam,

Accedite, fideles animulæ! reficite & recolligite vos: recreate & satiate vos.

Dominicæ mortis memoriam re-fricate, & conservate.

Memoriam conjungite cum applicatione meriti Christi, per fidem; & cum gratiarum actione, pro liberatione per sanguinem facta.

Sumite pignus: testificationem & confirmationem sanctæ communionis, & conjunctionis cum Christo, capite

330 CONTEMPLATIONES
pite nostro, & per eum, cum Patre &
Spiritu sancto.

Fidem vestram, de remissione pec-
catorum, augete, fovete, confortate,
servate.

Fides vestra imperfecta est: perfi-
cite eam non verbi solum auditu; sed
& cœnæ usu: verbum offert; cœna
applicat.

Ad studium bonorum operum vos
animate. Quoties illud impeditur, si-
statur, sopitur?

Christus hîc nobis sese sociat, cor-
poris ac sanguinis sui exhibitione:
corpus peccati magis magisque in no-
bis mortificat, vitæque spiritualis no-
vitatem inchoat.

Pacis, concordiae ac dilectionis of-
ficia, vobis invicem præstare: eandem
enim manducamus carnem; eundem
bibimus sanguinem; eâdem escâ nu-
trimur: eodem potu refocillamur;
unum corpus, sub eodem capite, con-
stituimur. Quis autem unquam unius
membra corporis vidit discordia, liti-
gantia, rixantia, pugnantia?

Ejicite

Ejicite rancorem, evellite odia: vetus fermentum expurgate. Non decet esse fermentarios Novi Testamenti fideles.

Puras sincerassqve mentes sanctum exarit convivium: in veru crucis, boni odoris asfatio omnem excoquat carnalium sensuum cruditatem; & induret solidetqve mentis affectus.

Nec, in Ecclesiæ sanctæ Sacramento, ulla sit macula; sed pura simplicitas, & innocentia vitæ, in una Ecclesiæ Catholicæ domo, à fidelibus de Ægypto egredientibus, transitò mari rubro, lotis Christi sanguine affectibus, offeratur.

O Jesu Christe! Domine omnipotens! Deus noster; fons vitæ & immortalitatis, conditor omnis creaturæ visibilis & invisibilis! qui es Patris æterni Filius æternus; qui, propter copiam bonitatis, in ultimis temporibus carnem assumpsisti, & crucifixus es ac traditus, pro ingratis & impiis nobis! tu in proprio tuo sanguine restaurasti corruptam à peccato naturam nostram;

fram; & das, in cibum, mihi carnem tuam! Es autem ignis, & uris indignos: ah! ne combure me, conditor meus! Veni intimiùs in compagem membrorum meorum, in omnes articulos, in renes, in cor. Exure aculeos peccatorum meorum: animam emunda, sanctifica mentem, illumina quinque sensus. Totum me tibi tuo agglutina amore; semper muni, defende, custodi me ab omni opere, & sermoneno- xio animæ meæ: purga, munda & dirige me: orna, edoce & illustra me.

Fac me templum solius Spiritus tui, non habitaculum peccati: ut me, introitu communionis tuæ, factum domum tuam, omnis impietas, & omne malum fugiat.

Corpus tuum sanctum fiat mihi panis vitæ æternitatis, misericors Domine! pretiosus tuus sanguis fiat mihi variorum morborum remedium.

Contaminatus operibus malis, timidus & improbus ego, illibato tuo corpore, & Divino sanguine indignus sum: Christe! tu me participatione
tui

tui fac dignum. Da mihi, Christe! lacrymarum guttas, sordes cordis mei detergentes: ut, bonâ conscientia mundatus, fide accedam, & cum timore, ad perceptionem Divinorum tuorum munerum.

In remissionem peccatorum, fiat mihi immaculatum corpus tuum; & Divinus sanguis in Spiritus S. communicationem, & in vitam æternam, ô benignissime! inque passionum & calamitatum mutationem.

Sana animæ meæ vulnera, Domine! & totum sanctifica; meque dignum fac, Domine! ut particeps fiam mysticæ tuæ ac Divinæ cœnæ, infelix ego.

Ut prædixisti, Christe! fiat vilissimo servo tuo: & in me mane, ut pollicitus es. Ecce enim corpus tuum manduco Divinum; & bibo sanguinem tuum. Verbum Dei & Deus meus! flamma corporis tui & sanguinis tui sit mihi tenebricoso illuminatio, & purgamentum contaminatæ animæ meæ. Intellectum, animam, cor, & corpus meum sanctifica, Servator!

334 CONTEMPLATIONES
tor ! & dignum fac, Domine ! sine
condemnatione, ad tremenda accede-
re mysteria.

Novos consequar affectus : & in-
crementum gratiæ tuæ capiam, vitæq;
munimentum ; participatione myste-
riorum tuorum, Christe !

O verbum Dei sanctum ! ipse Deus !
totum me sanctifica , accedentem
nunc ad Divina tua mysteria.

Ne despicias me, Christe ! dum pa-
nem sumo , qui est corpus tuum ; &
dum jam Divini sanguinis tui, Domi-
ne ! purissimorum nempe & tremen-
dorum mysteriorum tuorum, parti-
ceps fio, miser : ne mihi in iudicium
fiat. Fiat verò in vitam æternam atqve
immortalem.

Fons bonorum , Christe ! perce-
ptio immortalium tuorum myste-
riorum , fiat mihi lux & vita, & vitioso-
rum affectuum vacuitas : atqve virtu-
tis Divinioris profectum & augmen-
tum mihi conferat, ô solus bone ! ut te
glorificem. Amen.

CON-

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XLI.

*De iis, quæ post Sacramen-
ti Cœnæ perceptionem
meditanda.*

LOqvatur servus tuus verbum tu-
um, in auribus tuis: ne irascaris fa-
mulo tuo, Domine! Rex meus.

Tu immolâsti victimas tuas: miscu-
isti vinum, & proposuisti mensam tu-
am: misisti ancillas tuas; ut vocarent
ad arcem: si quis esset parvulus, veni-
ret ad te.

Tu dixisti: egredimini, filiæ Sion!
& videte Regem in diademate, quo
coronavit eum mater ejus, in die de-
sponsationis ejus, in die lætitiæ cor-
dis ejus.

Tu dixisti, Domine! servo tuo:
exi citò in plateas & vicos civitatis: &
pauperes ac debiles, & cæcos ac clau-
dos

336 CONTEMPLATIONES
dos huc introduc: & compelle intra-
re; ut impleatur domus mea.

Vocatus ego egressus sum: veni, vi-
di: introductus gustavi.

Non avertisti Te à famulo tuo; nec
dixisti: non videbis faciem meam.
Ostendisti Te mihi, consolator meus!
vidi Te, lumen oculorum meorum;
percepi gaudium spiritus mei; sensi
lætitiā cordis mei. Apparuiſti mihi,
delectatio mea magna! solatium me-
um dulce! Domine, Deus meus! vita
mea! & gloria tota animæ meæ! In-
veni Te desiderium cordis mei! tenui
Te, amor animæ meæ!

O retineam Te, vita animæ meæ!
diligam Te, Domine! fortitudo mea!
Domine! firmamentum meum! & re-
fugium meum! & liberator meus!
Amem Te, Deus meus! turris fortitu-
dinis meæ, & spes mea dulcis, in omni
tribulatione mea.

Amplectar Te bonum; sine quo ni-
hil bonum: fruar Te optimo; sine quo
nihil est optimum.

Exaltabo Te, Deus meus & Rex
meus!

meus! & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi. Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in seculum.

Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis. Generatio omnis laudabit opera tua, & potentiam tuam adnuntiabit: magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquetur, & mirabilia tua narrabit. Memoriam abundantiae suavitatis tuæ eructabit, & in justitia tua exultabit.

Miserator & misericors Dominus; patiens, & multum misericors: suavis Dominus universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.

Confiteantur tibi, Domine! omnia opera tua: & sancti tui benedicant tibi. Gloriam regni tui dicant: & potentiam tuam loquantur. Tu enim es Deus meus vivus & verus; Rex meus magnus; dux meus ad patriam; lux mea vera; dulcedo mea sancta; vita mea recta; sapientia mea præclara; simplicitas mea pura; concordia mea
 P pacifi-

pacifica; custodia mea tuta; portio mea bona; salus mea sempiterna; misericordia mea magna; patientia mea robustissima; victima mea immaculata; redemptio mea sancta; spes mea firma; charitas mea perfecta; resurrectio mea vera; vita mea æterna; exultatio & visio mea beatissima, & sine fine mansura.

Tu me, Deus meus! peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed solâ dignatione misericordiæ tuæ satiare dignatus es pretioso corpore & sanguine Filii tui, Domini nostri Jesu Christi. Quæ esca? qui potus? O memoriale mortis Domini!

Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? Scio Domine, Rex meus! quia ex hoc, quod fecisti me, debeo tibi me ipsum: & quia me redemisti, & pro me homo factus es; deberem tibi plusquam me; si haberem: quantò tu eo major es, pro quo dedisti te ipsum!

Ecce nunc, per te, plus habeo: nec, quod habeo, dare tibi possum, sine te.
Sed

*Sed accipe tu me; & trabe
me ad te: ut tuus sim imitatio-
ne & dilectione; sicut tuus
sum creatione & acquisitione.*

Tuum, Domine! sit totum id, quod
viyo: & totus totum me tibi offero.
Totus spiritus, totum cor, totum cor-
pus, tota vita mea vivat tibi, Vita mea
dulcis! quoniam totum me liberasti;
ut totum me possideres; totum me re-
fecisti; ut totum me haberes. Sed
quomodo me habere potes? nisi san-
cta hæc communicatio mihi non sit
reatus ad poenam; sed intercessio salu-
taris ad veniam, armatura fidei, & scu-
tum bonæ voluntatis: nisi sit vitiorum
meorum evacuatio, concupiscentiæ
& libidinis exterminatio, charitatis &
patientiæ, humilitatis & obedientiæ
augmentatio: contra insidias inimi-
corum omnium, tam visibilium, quàm
invisibilium, firma defensio; motuum
meorum, tam carnalium, quàm spiri-
tua-

340 CONTEMPLATIONES
tualium, perfecta quietatio; in te uno
ac vero Deo firma adhæſio?

Ah! impetrem hæc abs te, Miseri-
cordissime! qui, ut impetrarem, sup-
plicare jussisti: quò ad illud ineffabile
convivium possim pervenire; ubi tu,
cum Filio tuo & Spiritu sancto, san-
ctis tuis es lux vera, satietas plena, gau-
dium sempiternum, jucunditas con-
summata, & felicitas perfecta. Amen.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XLII.

De die piè inchoando.

EXpergiscor ex somno, animula
mea! expergiscar etiam aliquando
ex sepulchro: quod perpetuò tecum
perpende.

Promicat sol ex nubibus, & diem
post tenebras reducit: illucescet etiam
aliquando dies æternus, post noctem
diurnam; & Sol justitiæ, Christus
Jesus,

Jesus, splendore fulgidissimo, redibit: quem plurima sanctorum millia, pulcherrimè, & supra solis nostri nitorem coruscantia, comitabuntur. Ita te para, ô animula! in hoc vestibulo: ut eâ die in domum intronittaris; nec sol tibi dispareat, & tenebræ te involvant. Nullum lucri blandimentum, nulla honoris invitatio, nulla voluptatis delectatio adeò te seducat: ut diei istius lætitiâ deperdas. Bruta oculis suis lumen solis solùm hujus nostri intuentur: tu oculis fidei lumen diei istius intuere.

Recole, homo! Diabolum, leonem instar rugientis, dies noctesq; obambulare, &, quem devoret, anquirere. Num dubitas, lectulo tuo accubuisse, cùm somno te sepeliisses; & laborasse, ut te deglutiret? Quis verò restitit? tu languidus te prostraveras: solus custos Israël, qui neque dormit, neque dormitat, te custodivit.

Gallicinium audis? cogita Petrum: qui, quamvis Apostolatus dignitate emineret, & Præceptorem ac Docto-

rem, Dei Filium, audiret: gravissimè
tamen exerrabat. Quid te futurum?
nisi precibus assiduò ardentissimis
Deo adhærescas.

Tubam te cœlestem, quam inflabit
comes Judicis, Angelus, audire, cogita:
&, quomodo coram Judice illo possis
consistere, si jam jam adventaret, te co-
ram se compulsurus, dispice.

Memento, Deum circa lectulum
& in lectulo tuo esse; omnipræsen-
tem quippe: & omnes cogitationes,
omnes gestus, omnes actus tuos in-
trospicere. Memento, sanctissimas
Angelorum turmas, quæ per noctem
te sunt tutatæ, adstare, somnum & vi-
galias tuas notare, & sanctitate tuâ gau-
dere, impietate mœrere.

*Ita ergò vive: uti in Dei
& Angelorum conspectu vi-
vendum, ipse, si sapias, &
stimes.*

Vestes cum induis: eas esse pec-
catorum velamenta, reputa; nec cau-
sæ quic-

sæ quicquam esse, quamobrem iis superbias.

Quid quæso vestes sunt pleræque? nonne brutorum rejectamenta, sordes & exuviæ? Insanum itaque hominem! si irrationalium brutorum rejectamentis, sordibus & exuviis sese efferat & ostendet.

Corpus munis tegumento: longè magis hoc esse necessarium, cense; ut animam stolæ iustitiæ Christi candidissimâ munias, ac fide haud tepidâ tibi eam induas. Hac qui sese non contexit, frigore æterno discruciabitur.

Ah! quot pretiosissimis vestimentis operuerunt corpus: quorum animæ sunt nudæ admodum & frigidæ!

Confidera: quòd bonitas & misericordia Dei quotidiè renoventur; quodque vitam nobis quotidiè, quasi de novo, impertiatur: dum sensuum vigorem refundit, ac vim solis vivificam tibi reddit.

Nulla creatura tuas preces antevertat: nulla cogitatio nascatur in te prior, quàm quæ laudes agitet Divinas.

344 CONTEMPLATIONES

O Domine ! Deus omnipotens !
 qui es trinus & unus , qui es semper in
 omnibus , & eras ante omnia , & eris
 semper in omnibus : ô Deus ! concede
 mihi , ut porrò loquar.

Angusta est domus animæ meæ :
 quò venias ad eam , dilatetur abs te ,
 Ruinosa est , refice eam.

Habet , quæ offendant oculos tuos ;
 fateor , & scio . Sed quis mundabit
 eam ? aut quem alium , præter te , in-
 vocabo ? Ab occultis meis munda
 me , Domine ! à manifestis parce ser-
 vo tuo.

Credo : propter quod & loquor :
 Domine ! tu scis.

Proloquor tibi , adversum me , deli-
 cta mea , Deus meus ! dimittes ergò
 mei cordis impietatem , & in maris ab-
 jicies abyssum : ne in hoc me seculo
 confundant , in altero condemnent.

Deus benedictus in secula ! tibi
 commendo hodiè & omni tempore
 animam meam , corpus meum , omnes
 cogitationes meas , affectiones , locu-
 tiones , actiones ; omnia exteriora &
 interio-

interiora, sensum & intellectum, memoriam meam, fidem atque spem meam, & perseverantiam meam, in manus potentiæ tuæ: ut custodias ea diebus & noctibus, horis atque momentis.

Exaudi me, Trinitas sancta! & conserva me ab omni malo, & ab omni scandalo, & ab omni mortali peccato, ab omnibus insidiis & infestationibus Dæmonum, & inimicorum visibilium & invisibilium.

Expelle à me jactantiam mentis; & auge compunctionem cordis: minue superbiam meam; & perfice in me humilitatem veram: suscita in me fletum: mollifica cor meum, durum & lapideum.

Doce me, Domine! voluntatem tuam facere: quia Deus meus es tu.

Da mihi, Domine! cor, quod te timeat; mentem, quæ te diligat; sensum, qui te intelligat; aures, quæ te audiant; oculos, qui te videant.

Miserere mei Deus! miserere mei, & respice me, de sede sancta Majestatis tuæ!

P s

Da,

✱

Da, Domine JESU! ministris tuis concordiam; Regibus & principibus, justè judicantibus, tranquillitatem & pacem; injustè viventibus resipiscen-
tiam.

Oro, Domine! pro universa sancta Ecclesia; pro religiosis & secularibus; pro omnibus rectoribus Christianorum, cunctisq; in te credentibus; qui pro amore tui sancto laborant: ut perseverantiam boni operis obtineant.

Præsta, Domine! Rex æterne! juvenibus castitatem, adultis sanctimoniam, omnibus innocentiam; poenitentibus indulgentiam, viduis & orphanis sustentationem, pauperibus protectionem, peregrinantibus optatum reditum, lugentibus consolationem, fidelibus requiem sempiternam. Da navigantibus, in portum venire salutis; optimis, ut in bonitate semper consistant; bonis & mediocribus, ut meliores fiant; pravè agentibus & delinquentibus, ut mecum misero citò se corrigant. O dulcissime & misericordissime Domine, JESU Christe!
Fili

Fili DEI vivi! redemptor mundi! inter
omnes, & per omnia, mei miserere.
Amen.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XLIII.

De die pie finiendo.

SIve dies, sive nox recurset: miseri-
cordiæ Divinæ recurset cogitatio
& celebratio. Tenebrarum enim &
lucis vices ited nobis ab ipsa conce-
duntur: ut operis & quietis alterna sit
reparatio; aliudque agendi tempus,
aliud quiescendi.

Si solem stare voluisset Deus: per-
petuus dies utique esset. Si motus a-
stra non haberent: quis dubitaret,
sempiternam noctem fuisse futuram?
Sed, ut diei ac noctis vices essent: mo-
veri eavoluit, & tam variè moveri; ut
lucis ac tenebrarum mutuae vicisitu-

348 CONTEMPLATIONES
dines fierent: quibus laboris & ces-
sationis alterna spatia constarent.

Benedic, anima mea! Jehovah, qui
statuit lunam in stata tempora; so-
lem agnoscentem occasum suum; qui
disposuit tenebras: ut sit nox, quâ pro-
repunt omnia animalia sylvæ; juvenes
leones, rugientes ad prædam, quæren-
do escam suam; quæ, exorto sole, re-
cipiunt se, & in lustris suis recubant:
prodit autem homo ad opus suum, &
ad culturam suam, usque ad vesperam.

Quàm ampla sunt opera tua, ô Je-
hova! quàm ea omnia sapienter feci-
sti! quàm plena est terra possessione
tuâ!

*Quod opus tuum, quæ cul-
tura tua, homo! hoc die fue-
rit? circumspice.*

*Si opus fecisti honestum;
DEO adscribe: si boni quid
didicisti; DEO imputa: si
mali quid patrâsti, & vel
Deum*

Deum vel proximum offendisti; veniam precare humiliter: nec peccatis tuis somnum indormi vel oblivionis, vel securitatis.

Maledicta & tenebricosa nox! quâ lecto recumbis tuo, cum DEO non reconciliatus.

Calculos pone, & rationes tuas dispunge, rationem Domino tuo redditurus: quam si invenis laudandam; (quod quàm fit rarò!) lauda Dominum: sin culpandam; ad genua Domini te tui advolve, & ineffabilem ejus misericordiam implora: ut, si vel hac nocte, ad tribunal justitiæ avoceris, clementia ibi te jam excusaverit.

Hominum aliquis si ad iram & indignationem abs te fuit commotus: ab eo pete remissionem; nec solem fac, sub hac commotionis nube, occidere: si remittit; à DEO quoque delicti

350 CONTEMPLATIONES
licti remissionem instanter petere, ne
intermitte.

Tu autem, quod tibi vis fieri, fac
lubens etiam alteri.

*Vindictam tibi ne vindi-
ca: DEus sibi eam reserva-
vit. Audacissimus sit neces-
sum est, qui gladium DEO è
manibus ausit extorquere!*

Fecerunt hoc Ethnici: ut, consum-
mato die, cum se ad nocturnam quie-
tem reciperent, interrogarent ani-
mum suum: *quod hodie malum
tuum sanasti? cui vitio ob-
stitisti? quâ parte melior es:
desinet ira, & erit modera-
tior; quæ sciet, sibi quotidie
ad iudicem esse veniendum.*

Quid tibi, Christianus qui audis,
cogitandum? nonne tibi quoque ani-
mus, speculator sui, censorque secre-
tus,

tus, cognoscat de moribus, in secretum cogitationum suarum recedat, & inspiciat, quid tacitus optaverit?

O Domine cœlestis! cujus inexhaustæ bonitati & infinitæ benignitati debemus omnia; qui diei clarissimam lucem, bonis juxta ac malis, ad obeunda actionum munia, tribuisti; noctis amicam silentium, ad reficiendas corpuseulorum vires, & ad diluendas animorum curas, leniendosque mœrores, clementer dedisti: te precor, ut, quæ hoc die, vel per humanam incuriam, vel per adnatam malitiam, commisi; pro ineffabili misericordia tua condones: simulq; mihi dones, ut hæc nox, te prosperante, sit mihi felix; te custode pura; te protectore, à nocturnis Dæmonum ludibriis, tuta: ut hic somnus corpus simul & mentem in crastinum diem reddat, ad tibi serviendum, alacriorem. Et quoniam hæc vita nec ullam horam habet certam; ubi venerit illius vespera, & ad Angeli tui tubam mortui excitabuntur; quaeso te, ut tunc illumines oculos animæ

352 CONTEMPLATIONES
animæ meæ; ne, extinctâ fide, ob-
dormiam in morte sempiterna; sed re-
quiescam in te, cui vivunt & mortui:
qui vivis & regnas in sempiternum.
Amen.

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XLIV.

*De morte, extremo iudicio,
inferno, beatitudine.*

IN omnibus sermonibus tuis, me-
mento novissimorum tuorum: &
in æternum non peccabis. Nulla
medicina, nulla doctrina sic superat
superbiam, sic vincit malitiam, nec sic
extingvit libidinem, nec sic mundi
calcat vanitatem: sicut *novissimo-
rum* recordatio.

Quæ sunt autem illa novissima?
Disputent hîc alii; sedulò rem secum
repu-

reputent pii. *Mors tua, iudicium postremum, gloria cœli, & dolor inferni: hæc sunt meditanda tibi.*

Quid celerius & inopinatus accidit morte?

*Quotidiè morimur: quotidiè enim demitur aliqua pars vitæ: & tunc quoque, cum crescimus, vita decre-
scit.*

Quicquid transit temporis, perit. Hunc ipsum, quem agimus, diem cum morte dividimus.

Miser homo! quare omni horâ te non disponis? cogita, te jam mortuum, quem scis necessitate moriturum. Repete: quod tempus sit advolaturum, quo oculi vertantur in capite, venæ rum-

354 CONTEMPLATIONES
næ rumpantur in corpore, & cor scin-
datur dolore.

Recordare fragilitatem tuam; re-
cordare peregrinationis tuæ miseri-
am; recordare aninos tuos in amaritu-
dine animæ tuæ: & recordare vitæ hu-
manæ pericula.

*Quid, in rebus humanis
incertissimis, certius est mor-
te? quid incertius horâ mor-
tis invenitur?*

*Non miseretur inopia;
non reveretur divitias: non
sapientia, non moribus, non
etati denique parcit; nisi
quòd senibus mors est in ja-
nuis: juvenibus verò in in-
sidiis.*

Benè igitur unusquisq; diem hunc
novissimum formidare debet: quia
in

*in quo unumquemque, invene-
rit suus novissimus dies, cum
de hoc seculo egreditur; talis
in die novissimo judicabitur.*

*Ab unico isto momento
non finienda dependet eter-
nitas!*

*Quid iudicio terribilius?
quid Gebennâ potest cogita-
ri intolerabilius?*

*Quid metuet; si quis ad ista non
trepidat, non expavescit, non tremo-
re concutitur?*

*O homo! si pudorem perdidisti,
ad nobilem creaturam pertinentem;
si dolorem non sentis afflictionis,
quod etiam est carnalium: tantum ti-
morem non amittas.*

*Time ergo, ô homo! quod in mor-
te separandus es à bonis omnibus hu-
jus corporis; & tam dulce carnis &
animæ*

356 CONTEMPLATIONES
animæ vinculum amarissimo secun-
dum erit divortio.

Time, quòd in terribili iudicio ei
præsentandus es, in cuius manus, hor-
rendum est, incidere; illi examinato-
ri, quem nihil latet.

Si in te inventa fuerit iniquitas: a-
lienandus eris ab universitate quietis
& gloriæ, & segregandus à numero
beatorum.

Time, quòd, in Gehenna, cruciati-
bus æternis & immensis exponendus
es; in sorte Diaboli, & angelorum ejus;
in igne æterno, qui paratus est eis.

Nondum paves iudicis vultum,
ipsis etiam angelicis potestatibus tre-
mendum?

Nondum contremiscis ab ira po-
tentis, à facie furoris ejus, & à verbo
aspero?

Nondum contremiscis à dentibus
bestiæ infernalis, à ventre inferni, à ru-
gientibus, præparatis ad escam?

Nondum horres vermem roden-
tem, ignem torrentem, fumum & va-
porem,

porem, sulphur, & spiritum procel-
larum?

Ah! quis dabit capiti meo aquam,
& oculis meis fontem lacrymarum: ut
præveniam fletibus fletum, & strido-
rem dentium, & manuum pedumque
dura vincula, & pondus catenarum
prementium, stringentium, urentium,
nec tamen consummentium? ac perve-
niam ad te, Domine & Deus meus!

Si quis tamen tam dirus ac durus,
tam ferus & ferreus; ut timore malo-
rum non angatur: quis tam amens &
excors, ut bonorum desiderio non
tangatur?

*Reposita sunt bona, vi-
tam sanctè finientibus, nun-
quam finienda: quæ ocu-
lus non vidit; auris non au-
divit; quæ in cor hominis
non ascenderunt: quæ præ-
paravit Deus illis, qui ipsum
diligunt.*

Quo-

Quorum bonorum preparator & artifex Deus est; qualia esse putas?

Oculus non vidit; quia non est color: auris non audivit; quia non est sonus: nec in cor hominis ascendit; quia cor hominis debet illuc ascendere.

Quid faciam igitur? ut ascendat in linguam: quod in cor non ascendit.

Creditur; & non videtur. Non solum non videtur; sed nec dicitur.

O Domine Jesu Christe! quando momentum illud periculosissimum, quo viam aeternitatis ingrediar, appropinquabit: tunc largire mihi quietam & placidam obdormitionem: ut in vera agnitio-

gnitione, & confessione tuæ
gratia, cum pace & latitia
meum spiritum & misellam
meam animulam tradam, &
manibus tuis committam;
neq̃ diu angar: (ut quidem mil-
lies promeritus sum) & ut, cum cor-
pore meo, quiete fuar in terra: & evi-
gilem, & cohæres fiam resurrectionis
omnium credentium, ad vitam: te læ-
tanter laudem & glorificem; & tibi
gratias agam in omni æternitate, pro
omnibus iis & innumeris beneficiis,
quæ mihi, toto peregrinationis meæ
tempore, contulisti.

Ne reputes, Domine! vetera debi-
ta; & ne memineris delictorum ju-
ventutis meæ: sed miserere mei, secun-
dum magnam misericordiam tuam:
& sustenta me, in firma fide & con-
solatione; usque ad extremum meum
halitum: ne peccatum, mors, & dia-
bolus mihi noceant; neque propria
mea

360 CONTEMPLATIONES
mea caro me impatientem reddat: sed
penetrem ad te, sed habitem apud te,
& maneam in te in æternum! Amen!

CONTEMPLATIO-
NUM ET SUSPIRIO-
RUM HOMINIS
CHRISTIANI

XLV.

De Æternitate.

ECquid hoc est, quòd intimas fi-
bras dividit, viscera secat, cor fau-
ciat, linguam ligat, labra claudit, sen-
sus dissipat, membra omnia obruit tre-
more?

Rivi fluunt ex oculis; genæ lacry-
mis rigantur; & torrens hic unico ex-
citatur verbo. Verbum horribile! cu-
jus vi minisque timor & angor nobis
ingeruntur. Verbum, quod dies nul-
la, nulla vox terminabit; nulla obte-
get stella; sidus nullum obvelabit.
Verbum, quod gravius adamante aut
marmore cor, ossa, medullas frangit,
comminuit.

Ver-

Verbum hoc est, ÆTERNITAS;
verbum coelo diuturnius; tonitru, ful-
gure, tempestate omni horribilius.

ÆTERNITAS est, quæ pausam,
metam & finem non habet; & animos
etiam hominum, quasi stimulis &
calcaribus, adigit, fodicatque: ut &
ipsi quærant non mutabilia, non
transitoria.

Adegit verbum hoc non paucos:
ut fulgentia ventosis verticibus diade-
mata detraherent; laurum superbam
contemnerent; cristas surgentes per-
domarent; &, aspero sese panno oc-
culentes, altiora & Diviniora contem-
plarentur.

Totum me occupat verbum hoc;
nec ullam mihi quietis usuram permit-
tit: animo perturbatissimo curam,
metum, dolorem injicit.

O finis, à fine remotissimus! ô tem-
pus, sine tempore! annus, absque an-
no! ô numerus, nulli numerabilis!

Descende, descende, ô ani-

2

ma

*ma mea! ad inferos: non
ut igni te immisceas; sed ut
edaces ignis flammās de-
vites.*

Patietur impius: (si tam benignè
cum ipso agi possit) ut Ætna ipsi im-
ponatur; ut vultures ipsum arrodant;
ut araneæ telas in gutture ipsi suspen-
dant; ut viperis scorpiisque sulcetur;
ut aconitis alatur; ut fumigante pice
torreatur; ut sanguinem bibat Dra-
conum; ut carbonibus cibetur, ut per-
enni peste ustuletur; ut craticulæ ad-
hametur; ut lanceis transfigatur; ut
rogo alligetur; ut equis discerpatur;
ut sulphure perfundatur; ut equuleo
distendatur; ut fame sitiqve pereat;
ut pugionibus lanietur: patietur hæc
impius, & patietur annos mille, addet-
qve mille alios: si spes sit cruciatuum
finiendorum.

Quantumcunqve sit tormentum;
quantacunqve tortura; quantuscun-
qve

que cruciatus: finis tamen, qui speratur, mitigat.

Æternitas est, quæ verè torquet; quæ verè cruciat.

Ea pcenas facit infernales; ea plagas verè facit plagas: ea supplicia omnia in unum cogit; & flammæ suas non duplicat: sed modis auget infinitis.

Eheu! eheu! quid æternitas? quæ ipsam Geometria metietur? non dies, non mensis, non annus terminat: non centies mille lustra, non millies mille Olympiades.

Transitur autem ad interminabilem istam æternitatem, per fugacem dierum paucillorum instabilitatem.

Adit, & abit sol: ad istam cum abitur; reditur nunquam.

Initium hîc finis est: finis semper est initium.

O vita, omni peior morte!

O mors perpetua, absq; morte ulla!

Eò præcipitaberis, quisquis jam animum voluptatibus tuum explēs; quisquis corporis sectaris impuritates;

Q 2

quisquis

quisquis membra, quæ Christus suo redemit sanguine, tribuis meretricibus; quisquis gulam amplius calicibus, & ventrem inflas & farcis patinarum cupediis.

Quid enim aliud ignis ille devorabit; nisi peccata tua? quanto amplius peccas, tanto maiorem cumbendi materiam reservas.

Descensus dantur plurimi, ascensus omnis denegatur: quisquis semel incidit, ille semper manet, & absque speciali levamento interit.

Quisquis cœlitibus annumerabitur; semper letabitur: quisquis furiis Tartareis associabitur; semper torretur.

Beatarum animarum gaudia

*dia erunt sine numero &
mensura: maledictarum ani-
marum tormenta erunt sine
meta & sine; sine medio &
remedio.*

Post innumera & infinita anno-
rum millia, semper cogitare cogen-
tur, hæc esse duntaxat suppliciorum
initia.

*Illic una hora grauior erit
in pœna; quam hic centum
anni in pœnitentia.*

Non erit ibi carbo; sed pruna: nul-
la extinctio; sed suscitatio: crescent
pœnæ; exasperabuntur punientes:
augebitur carnificina; multiplicabun-
tur carnifices.

Gaudeat coelicola; vivant superi:
mœreat damnatus; moriantur inferi!
Calcate semitam cœli, dum reclusa
est; accurrite, dum via patet: occlu-
detur

366 CONTEMPLATIONES
detur semita, obruetur via: si semel
declinaveris.

Laniabunt canes hœdos; exhilara-
bit Deus agnos: accipiter vorabit cor-
vos; servabit Deus columbas.

Conviva cœli dum deliciis & lætitiis
satiatur: quid, in squalore lamentan-
tibus, adponetur? Petent famelici mi-
cas: sed obstruent os querulum scin-
tillæ; nec voces miseras accepta-
bunt?

Lacrymas bibere jubebuntur æter-
nas, & guttur refrigerare aquis jugi-
bus oculorum. Potus erit, doloris tor-
rens: quem non siccabit, in quo elan-
guescent, ignis.

Jungetur lacrymis fellis urna; quæ
non exhaurietur, aut perfringetur:
fluet fel continuò; urgebit hospes
perpetuò: ah! quantò satiùs foret, æ-
ternùm sitire; quàm hoc potu æter-
nùm perire, æternùm ingemiscere, æ-
ternùm contremiscere!

Intrâsti semel; evades nunquam:
cepit

cepit beatorum te hostis semel : hospes tuus erit semper.

Misus ferculorum semper erit primus : postremum expectabis ; nunquam videbis.

Mensa hæc repleta semper ; depleta nunquam.

CRAS, CRAS, putabis, melius erit : sed omne tibi punctum erit HODIE.

Hodiè, cum hæc legis ; cum hæc audis : rumina diligenter ; & resipisce ardentè : nec CRAS tibi olim erit vel expectandum, vel inclamandum.

O æternitas ! Æternum interiit ; qui, in seculo, æternitatem non pensat.

O homo ! ô anima hominis ! cui ratio est concessa & meditatio ; si amor Dei te movere non potest : saltem moveat & terreat timor iudicis, metus Gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis rodens, sulphur foetens, flamma tartarea,
 Q4 & mala

368 CONT. CHRISTIANI.
& mala omnia, & malorum omnium
æternitas.

Æternitatis enim tanta sunt spatia:
ut si damnatus quispiam millesimo
quolibet anno lacrymam ex oculis u-
nam exprimat; plus aquæ affluat, quàm
totus possit mundus continere.

O æternitas!



INDEX



INDEX

Contemplationum & Suspi- riorum Hominis Christiani.

- C**ontemplatio I. De magnitudi-
ne amoris Dei. pag. 13
II. De primæva hominis nobilitate.
& ejusdem defectione. 17
III. De hominis à Deo recessu, Dia-
boli fraudibus; Dei omnipræsen-
tia, & clementia. 20
IV. De consilio Trinitatis super ho-
mine creando; & de fine hominis
creati. 26
V. De Paradiso, & hominis ex eo eje-
ctione. 32
VI. De serpente deceptore. 38
VII. De Dei providentia, & conser-
vatione. 45
VIII. De Adami, primi hominis, ve-
stitū. 54
IX. De diluvii arca; Noacho; corvo;
columba. 57

Q

X. De

INDEX

X. De scala Jacobæa.	63
XI. De benignissima Dei cura, pro populo suo, ex cura pro populo Israëlitico in deserto, colligenda.	68
XII. De tabernaculo Israëliitarum; nube, in qua Dei peculiaris præsentia; propitiatorio; arca; Manna; virga Aaronis.	82
XIII. De Christi Conceptione.	87
XIV. De Christi Nativitate.	93
XV. De Nomine Jesu.	102
XVI. De Christi, & nostra, Circumcisione.	113
XVII. De Christi Passione.	119
XVIII. De primo, & secundo Verbo Domini, in cruce prolato.	134
XIX. De tertio, & quarto Christi Verbo, in cruce prolato.	141
XX. De quinto Christi Verbo, in cruce prolato.	148
XXI. De sexto Christi Verbo, in cruce prolato.	154
XXII. De septimo, & ultimo, Christi Verbo, in cruce prolato.	160
XXIII. De latere Christi aperto.	168
XXIV. De Christi Sepultura.	173
XXV. De	

CONTEMPLATIONUM.

XXV. De Christi Resurrectione. 177

XXVI. De Christi Ascensione. 186

XXVII. De Missionis Spiritus Sancti. 193

XXVIII. De Myſterio Trinitatis. 201

XXIX. De vitanda, in rebus nobis non
revelatis, ſcrupuloſitate. 208

XXX. De custodia Angelorum. 218

XXXI. De Baptiſmo. 227

XXXII. De Praxi Chriſtiana. 235

XXXIII. De veri dignitate Chriſtiani.
243

XXXIV. De regulis, ad vitam piè trans-
igendam, neceſſariis; qvoad homi-
nis cogitationes. 259

XXXV. De regulis, ad vitam piè trans-
igendam, neceſſariis; qvoad homi-
nis verba. 270

XXXVI. De regulis, ad vitam piè
transigendam, neceſſariis; qvoad
hominis facta. 282


XXXVII. De ingenti multitudine be-
neficiorum Dei, & multitudine
peccatorum hominis, ea ſpernen-
tis. 294

Q6

XXXVIII.

INDEX CONTEMPLAT.

- XXXVIII. De peccatorum magnitudine, ac foeditate, & de eorundem confessione. 318
- XXXIX. De Dei, ad peccata remittenda, promptitudine; &, pro eorundem remissione, gratiarum actione. 322
- XL. De digna ad S. Synaxin preparatione. 325
- XLI. De iis, quæ, post Sacramenti Cœnæ perceptionem, meditanda. 335
- XLII. De die, piè inchoando. 340
- XLIII. De die, piè finiendo. 347
- XLIV. De hominum novissimis: morte; iudicio; inferno; beatitudine. 352
- XLV. De æternitate. 360



J. M. DIL-

titu-
lem
318
nit-
eo-
a-
22
ra-
325
nti
da.
335
40
47
is:
tu-
52
60

J. M. DILHERRI
Specimen
PHILOLOGIÆ
SACRÆ,
EX
SACRIS SCRIP-
TORIBUS.

J. M. D. N. T. R. A.
PHILOGIA
SACRA
ET
SACRIS SCRIP-
TURIS

369



Sententiæ,
&
modi loqvendi,
ex
SS. Patribus.

Ex

LACTANTIO:
AMBROSIO:
AUGUSTINO:
SIDONIO APOL-
LINARI:
PETRO DAMIANI:
BERNHARDO.

I. Ex



I.

Ex

C. LACTANTIO

Firmiano:

*qui floruit circa annum
Christi CCC.*



Stendam: *cur fecerit
hominem ipsum Deus?*

Sicut mundum, propter hominem, machinatus est: ita ipsum, propter se, tanquam Divini templi antistitem, spectatorem operum rerumque cœlestium. Solus est enim, qui, sentiens capaxque rationis, intelligere possit Deum: qui opera ejus admirari; virtutem potestatemque perspicere: idcirco enim consilio, mente, prudentia instructus est.

Ideo solus, præter cæteras animantes, reclus corpore, ac statu, factus est:
ut,

ut, ad contemplationem parentis sui,
excitatus esse videatur.

Ideò sermonem solus accepit, ac
lingvam, cogitationis interpretem: ut
enarrare maiestatem Domini sui
possit.

Postremò idcirco ei cuncta subje-
cta sunt: ut factori, atque artifici Deo,
esset ipse subjectus.

Si ergò Deus hominem suum voluit
esse cultorem; ideoq; illi tantum ho-
noris attribuit, ut rerum omnium do-
minaretur: utique iustissimum est, &
Deum colere: videlicet eum, qui tan-
ta præstiterit: & amare hominem; qui
sit nobiscum Divini juris societate
conjunctus.

Nec enim fas est, cultorem Dei, à
Dei cultore, violari. Unde intelligi-
tur: Religionis, ac iustitiæ causâ, esse
hominem figuratum. Cujus rei testis
est M. Tullius in libris de legibus, ita
dicens: *Sed omnium, quæ in doctorum
hominum disputatione versantur, nihil
est profecto præstabilius; quàm planè
intelligi: vos ad iustitiam esse natos.*

Quod

Quod si est verissimum: *Deus* ergò vult, omnes homines esse justos: id est: *Deum* & hominem charos habere: *Deum* scilicet honorare, tanquam patrem; hominem diligere, velut fratrem. In his enim duobus, tota justitia consistit.

Qui ergò aut *Deum* non agnoscit; aut homini nocet: injustè, & contra naturam suam, vivit; & hoc modo rumpit institutum, legemque Divinam. *Lib. de ira Dei, cap. XIV.*

SENTENTIÆ,

ex epitome

Divinarum institutionum.

I. Quid tam justum ad æquitatem, tam pium ad honorem, tam necessarium ad salutem? quàm *Deum* cognoscere, ut parentem; venerari, ut dominum, ejusq; legi, aut præceptis obtemperare. cap. I.

II. Imitatio nominum facit, ut sic esse videatur. Nam & justitia imaginem habet stultitiæ; non tamen est
stulti-

stultitia: & malitia imaginem sapien-
tiæ; non tamen sapientia est. *cap. I.*

III. Neque ratio, neque natura
ipsa permittit; ut is, qui justus est, sa-
piens non sit; quoniam justus nihil u-
tiq; facit, nisi quod rectum & bonum
est; pravam & malum semper fugit.
Quis autem discernere bonum & ma-
lum, pravam & rectum poterit; nisi
qui sapiens fuerit? *cap. I.*

IV. Nihil ad nos adtinet, quid ju-
dicent stulti; quid homunculi sentiant?
Nos judicium Dei expectare debe-
mus: ut eos postmodum, qui de nobis
judicaverint, judicemus. *cap. I.*

V. Quid ab homine desiderat
Deus; nisi cultum mentis, qui est pu-
rus & sanctus? Nam illa, quæ aut digi-
tis fiunt, aut extra hominem sunt, hoc
sacrificium verum non sunt; nec quod
ex arca, sed quod ex corde profertur:
non quod manu, sed quod mente liba-
tur. Hæc acceptabilis victima est, quam
de seipso animus immolat. *cap. II.*

VI. Primum justitiæ officium est;
Deum cognoscere, ut parentem:
eumq;

eumq; metuere, ut Dominum: diligere, ut patrem.

Secundum iustitiæ officium est; hominem agnoscere, velut fratrem. Si enim idem Deus fecit; & universos ad iustitiam, & ad vitam æternam, pari conditione, generavit: fraternâ utiq; necessitudine cohæremus: quàm qui non agnoscit, injustus est. *cap. III.*

VII. Vide, ut ne facias ulli, quod pati nolis: sed alterius animum de tuo metiaris. *cap. III.*

VIII. Si acerbum est, injuriam ferre; & qui eam fecerit, videtur injustus: transfer in alterius personam, quod in te sentis; & in tuam, quod de altero judicas: & intelliges, tam te injustè facere, si alteri noceas; quàm alterum, si tibi. *cap. III.*

IX. Tres affectus, vel tres furia, sunt, quæ in animis hominum tantas perturbationes ciunt, & interdum cogunt ita delinquere; ut nec famæ, nec periculi sui respectum, aut curam habere, permittant: *Ira*; quæ vindictam cupit: *Avaritia*; quæ desiderat opes: *Libi-*

Libido; quæ adpetit voluptates. His vitiis resistendum est; hæ stirpes erundæ: ut virtutes feri possint. *cap. IV.*

X. Quid tam horribile, tam tetrum; quam hominis trucidatio? Ideò severissimis legibus vita nostra multatur: ideò bella execrabilia sunt. *cap. VI.*

XI. Renuntiandum noxiis voluptatibus: ne, delinuti suavitatē pestiferā, in mortis laqueos incidamus. Placet sola virtus: cujus merces immortalis est; quum vicerit voluptatem. *cap. VI.*

XII. Nunquam mentiendum est: quia mendacium semper aut fallit, aut nocet. *cap. VI.*

XIII. Deus affectum nobis misericordiæ dedit: ut omne præsidium vitæ nostræ, in mutuis auxiliis, poneremus. Si enim facti ab uno Deo, & orti ab uno homine: consanguinitatis jure sociamur. Omnem igitur hominem diligere debemus. *cap. VII.*

XIV. Animal commune atque consors esse debemus: ut nos invicem, præstandis recipiendisq; auxiliis, muniamus, *cap. VII.*

XV. Spe-

XV. Speres, tibi accidere, quod alteri accidit. Ita demum excitaberis, ad opem ferendam: si sumpseris ejus animum, qui opem tunc, in malis constitutus, implorat. *cap. VII.*

XVI. Siquis victu indiget; impertiamur. Siquis à potentiori injuriam sustinet; eruamus. Pateat domicilium nostrum vel peregrinis, vel indigentibus tecto. Pupillis defensio, viduis tutela nostra non desit. Redimere ab hoste captivos, magnanimi opus est: item ægros pauperes visitare, atque fovere. Inopes, aut pauperes (si obierint) non patiamur insepultos jacere. Hæc sunt opera, hæc officia misericordiæ: quæ si quis perfecerit; verum & acceptum sacrificium Deo immolabit. *cap. VII.*

XVII. Ut hæc omnia, quæ Deo placent, facere possimus: contemnenda est pecunia, & ad cœlestes transferenda thesauros: ubi fur non effodiet, nec rubigo consumet, nec tyrannus eripiet: sed nobis ad æternam opulentiam, Deo custode, servabitur. *cap. VII.*

XVIII. Si

XVIII. Si est gloriosum, pro amicis, pro parentibus, pro liberis, id est, pro homine, suscipere mortem; & qui hoc fecerit, diuturnam memoriam, laudemq; consequitur: quanto magis, pro Deo? qui potest æternam vitam, pro temporali morte, præstare! Itaque cum inciderit huiusmodi necessitas, ut discedere à Deo, atque ad ritus gentium transire cogamur: nullus nos metus, nullus terror inflectat; quò minùs traditam nobis fidem custodiamus. Deus sit ante oculos, sit in corde: cuius interno auxilio, dolor viscerum, & adhibita corpori tormenta, superentur. Nihil tunc aliud, quàm vitæ immortalis præmia, cogitemus. Ita facilè, etiamsi dissipandi, aut urendi artus fuerint, tolerabimus, quæ in nos tyrannicæ dominationis amentia molietur. Postremò ipsam mortem non inviti, aut timidi, sed libenter, & interriti, subire nitamur: ut qui sciamus, quali apud Deum gloriâ simus functuri, triumphato seculo, ad promissa venientes: quibus bonis, quantâ beati-

beatitudine, brevia hæc pœnarũ mala,
& hujus vitæ damna, pensemus! *c. VIII.*

XIX. Purganda est conscientia:
quam Deus pervidet, qui falli non po-
test. Evacuetur omni labe pectus: ut
templum Dei esse possit: quod non
auri, nec eboris nitor; sed fidei & ca-
stitatis fulgor illustrat. *cap. VIII.*

XX. Non patitur conditio fragi-
litis naturæ, esse quæquam sine ma-
cula. Ultimum ergo remedium illud
est: ut confugiamus ad pœnitentiam;
quæ non minimum locum inter vir-
tutes habet: quia sui correctio est; ut,
quum fortè aut re, aut verbo, lapsi fue-
rimus, statim resipiscamus, aut nos de-
liquisse fateamur, oremusq; à Deo ve-
niam: quam, pro sua misericordia,
non negabit; nisi perseverabimus in
errore. *cap. IX.*

XXI. Magnum est pœnitentiæ
auxilium, magnum solatium. Illa est
vulnerum, peccatorumq; sanatio: illa
spes, illa portus salutis: quam qui tol-
lit, viam vitæ sibi amputat: quia ne-
mo esse tam justus potest, ut nun-
quam

quam sit ei poenitentia necessaria.
cap. IX.

XXII. Factus à Deo mundus; ut homines nascerentur: nascuntur autem homines; ut Deum patrem agnoscant, ut colant; in quo iustitia est: colunt; ut mercedem immortalitatis accipiant: accipiunt immortalitatem; ut in æternum Deo serviant. *cap. X.*

XXIII. Homo ideò rectus cœlum aspicit: ut Deum quærat. An potest ergò esse mortalis, qui immortalem desiderat? *cap. X.*

XXIV. Nondum sex millia completa sunt: quo numero consummato, tum demum malum omne tolletur; ut regnet sola iustitia. *cap. X.*

XXV. Quùm cœperit mundo finis ultimus propinquare; malitia invalescet: omnia vitiorum & fraudum genera crebrescent: iustitia interibit: fides, pax, misericordia, pudor, veritas non erit: vis & audacia prævalebit: nemo quicquam habebit; nisi malè partum, manuq; defensum. Si qui erunt boni; prædæ ac ludibrio habebuntur.

R

buntur.

buntur. Nemo pietatem parentibus exhibebit: nemo infantis aut senis miserebitur: avaritia, libido universa corrumpet: erunt cædes, & sanguinis effusiones: erunt bella, non modò externa & finitima; verùm etiam interna. Civitates inter se belligerabunt: omnis sexus, & omnis ætas, arma tractabunt. Non imperii dignitas conservabitur; non militiæ disciplina: sed, more latrocinii, deprædatio & vastatio fiet. *cap. XI.*

XXVI. Curæ, spes omnes vitæ ac salutis, in sola Religione Dei, sunt posita. Itaque nisi homo susceperit, quem Deus, ad liberationem, misit: nisi summum Deum, per eum, qui missus est, cognoverit, mandata ejus, legesq; servaverit: incidet in poenas. Proinde fragilia contemnenda sunt, ut solida consequamur: spernenda terrena; ut cœlestibus oneremur: temporalia fugienda; ut ad æterna veniamus. *cap. XII.*

II.

Ex

AMBROSIO,

Episcopo Mediolanensi:

*qui floruit circa annum**Christi CCCLXXIV.*

I. **Q**uid præ cæteris debemus discere? quàm tacere, ut possimus loqui: ne prius me vox condemnaret mea; quàm absolvata aliena: Scriptum enim est: *Ex verbis tuis condemnaberis.*

Quid opus igitur, ut properes, periculum suscipere condemnationis, loquendo? cùm, tacendo, possis esse tutior?

Complures vidi; loquendo, in peccatum incidisse: vix quenquam, tacendo.

Ideoq; tacere nôsse, quàm loqui, difficilius est.

Scio, loqui plerosque: cùm tacere nesciant.

R. 2

Rarum

Rarum est, tacere quenquam: cum sibi, loqui, nihil profit.

Sapiens est ergò, qui novit tacere.

Denique sapientia Dei dixit: *Domini dedit mihi linguam eruditionis: ut sciam; quando oporteat sermonem dicere.*

Meritò ergò sapiens: qui à Domino accepit; quo tempore sibi loquendum sit.

Unde benè ait scriptura: *Homo sapiens tacebit, usq; ad tempus.*

Ideò Sancti Domini, qui sciebant, quia vox hominis plerumque peccati nuncia est, & initium erroris humani sermo est hominis, amabant tacere.

Deniq; Sanctus Domini ait: *Dixi: custodiam vias meas: ut non delinquam lingua mea.* Sciebat enim, & legerat: *Divina esse protectionis; ut homo, à lingua sua flagello, absconderetur, & à conscientiae suae testimonio.* Ferimur enim, tacito cogitationis nostrae opprobrio, & iudicio conscientiae: ferimur vocis nostrae verberare: cum loqui-

loquimur ea, quorum sono cæditur animus noster, & mens confauciatur.

Quis enim est, qui mundum cor à peccatorum habeat colluvione; aut non delinquat lingvâ suâ? Et ideò, quia neminem sciebat, castum os servare posse, ab immunditia sermonis: ipse sibi silentio legem imposuit innocentiae: ut tacendo culpam declinaret, quam vix effugere posset loquendo.

Audiamus ergò cautionis magistrum: *Dixi: custodiam vias meas*: hoc est, tacito cogitationis præcepto, indixi mihi, ut custodirem vias meas.

Aliæ sunt viæ, quas debemus sequi; aliæ, quas custodire. Sequi vias Domini; custodire nostras: ne in culpam dirigantur. Potes autem custodire: si non citò loquaris.

Lex dicit: *Audi Israël Dominum Deum tuum*. Non dicit: loquere; sed audi.

Ideò Eva lapsa est: quia locuta est viro; quod non audierat à Domino Deo suo.

Prima vox Dei dicit tibi: *Audi! Si*

R 3

audias;

audias; custodis vias tuas: & si lapsus es; citò corrige. In quo enim corrigit junior viam suam; nisi in custodiendo verba Domini?

Tace ergò priùs; & audi: & non delinques in lingua tua.

Grave malum; quòd aliquis ore suo condemnetur.

Etenim, si pro otioso verbo reddet unusquisque rationem: quantò magis pro verbo impuritatis & turpitudinis? Graviores enim sunt verba præcipitationis; quàm otiosa.

Ergò, si pro otioso verbo ratio poscitur: quantò magis pro sermone impietatis pœna exsolvitur? Lib. I. Offic. c. 2.

II. Quid igitur? Mutos nos esse oportet?

Minimè.

Est enim tempus tacendi; & tempus loquendi.

Deinde, si pro otioso verbo reddemus rationem: videamus; ne reddamus & pro otioso silentio. Est enim & negotiosum silentium: ut erat Susannæ; quæ plus egit tacendo, quàm si esset locuta.

Tacen-

Tacendo enim apud homines, locuta est Deo. Nec ullum majus indicium suæ castitatis invenit, quàm silentium. Conscientia loquebatur, ubi vox non audiebatur: nec quærebat pro se hominum judicium; quæ habebat Domini testimonium. Ab illo igitur volebat absolvi, quem sciebat nullo modo posse falli.

Ipse Dominus, in Evangelio, tacens operabatur salutem hominum.

Rectè ergò David, non silentium sibi indixit perpetuum; sed custodiam.

Custodiamus ergò cor nostrum. Utrumq; enim scriptum est: Hic, ut custodiamus os: alibi tibi dicitur: omni custodiâ serva cor tuum.

Si custodit David: tu non custodies?

Si immunda labia habet Esaias, qui dixit: O miser ego! quoniam compunctus sum: quia, cum sim homo, & immunda labia habeo. Si Propheta Domini immunda habet labia: quomodo nos munda habebimus?

R 4

Et

Et cui, nisi unicuiq; nostrum, scriptum est? Sepi possessionem tuam spinis; & aurum & argentum adliga: & ori tuo fac ostium & vectem; & verbis tuis jugum & stateram?

Possessio tua, mens tua; aurum tuum, cor tuum est. Argentum tuum; eloquium tuum est. Eloquia Domini, eloquia casta; argentum igne examinatum.

Bona etiam possessio, mens bona. Deniq; possessio pretiosa homo mundus.

Sepi ergo hanc possessionem, & circumvallato cogitationibus; munito spinis sollicitudinum: ne in eam irruant, & captivam ducant, irrationabiles corporis passionibus; nec incurserint motus graves; nec diripiant vindictam ejus, transeuntes viam.

Custodi interiorem hominem tuum.

Noli eum, quasi vilem, negligere ac fastidire: quia pretiosa possessio est. Et merito pretiosa: cujus fructus non caducus & temporalis; sed stabilis, atque aeternae salutis est.

Habes

*Habet suas habenas mentis sobrietas;
quibus regitur & gubernatur.* Sit ori
tuo ostium: ut claudatur, ubi oportet:
& obseretur diligentius; ne quis
in iracundiam excitet vocem tuam, &
contumeliam rependas contumeliæ.

Audisti: Irascimini: & nolite peccare.
Ergo etsi irascimur: (quia affectus naturæ est; non potestatis) malum sermonem non proferamus de ore nostro; ne in culpam ruamus. Sed jugum sit verbis tuis, & statera: hoc est, humilitas atque mensura: ut lingua tua menti subdita sit. Restringatur habenæ vinculis: frenos habeat suos; quibus revocari possit. Ad mensuram sermones proferat, libra examinatos justitiæ: ut sit gravitas in sensu; in sermone pondus; atque in verbis modus.

III. Tunc maximè insidiatur adversarius: (*Diabolus*) quando videt; nobis passionem aliquam generari. Tunc fomites movet; laqueos parat. Laqueus adversarii est sermo noster: sed etiam ipse (*sermo noster*) non minus

nus adversarius est nobis. Loquimur
 plerumque, quòd excipiat inimicus;
 & quasi nostro gladio nos vulneret.
 Quantò tolerabilius est, alieno gladio,
 quàm nostro, perire? Explorat ergo
 adversarius nostra arma: & concutit
 sua tela. Si viderit, moveri me: infe-
 rit aculeos suos: ut feminina jurgio-
 rum excitet. Si emisero verbum inde-
 corum: laqueum suum stringit. Inter-
 dum mihi escam proponit, vindictæ
 possibilitatem: ut, dum vindicare cu-
 pio, ipse me inferam laqueo, & no-
 dum mortis adstringam mihi. Si quis
 ergo hunc adversarium sentit præsen-
 tem esse: tunc magis custodiam adhi-
 bere debet ori suo: ne det locum ad-
 versario. Sed non multi hunc vident.
Lib. I. Offic. cap. IV.

IV. Peccator est, qui nos provo-
 cat, qui injuriam facit: & nos similes
 fieri sui desiderat. Si referas contume-
 liam; dicetur: ambo conviciati sunt.
 Uterque condemnatur; nemo absol-
 vitur. Ergo illius est studium: ut irri-
 tet; ut similia illi loquar; similia agam.
 Just

Iusti autem est, dissimulare: nihil lo-
qui; tenere bonum fructum consci-
entiae; plus committere bonorum ju-
dicio; quam criminantis insolentiae;
contentum esse, gravitate morum su-
orum. *Lib. I. Offic. cap. V.*

V. Is, qui citò injuriâ movetur,
fecit se dignum videri contumeliâ:
dum vult indignus probari. *Lib. I.
Offic. cap. VI.*

VI. Nihil tam commendat Chri-
stianam animam; quam misericordia.
Lib. I. Offic. cap. XI.

VII. Moritur innocens, in po-
testate simplicitatis suæ, in abundantia
propriæ voluntatis; sicut adipe reple-
tam animam gerens. At verò pecca-
tor, quamvis fortunis abundet, & divi-
tiis diffuat, odoribus fragret; in ama-
ritudine animæ vitam exigit: & ulti-
mam diem claudit, nihil secum eo-
rum, quæ epulatus fuerat, referens; bo-
norum nihil secum auferens; nisi pre-
tia scelerum suorum. *Lib. I. Offic.
cap. XII.*

VIII. Non potest quis præmium

R 6

acci-

accipere; nisi legitime certaverit: nec est gloriosa victoria; nisi ubi fuerint laboriosa certamina. *Lib. I. Offic. cap. XV.*

IX. Officia Virtutis nobis, ab adolescentia, spectanda sunt: ut, cum ætate, accrescant simul studia bonorum actuum. *Lib. I. Offic. cap. XVII.*

X. Est bonorum adolescentum: timorem Dei habere, deferre parentibus honorem, habere senioribus reverentiam, castitatem tueri, non adspernari humilitatem, diligere clementiam ac verecundiam: quæ ornamento sunt minori ætati. *Lib. I. Offic. cap. XVII.*

XI. Ut in senibus gravitas, in juvenibus alacritas: ita in adolescentibus verecundia, velut quâdam dote naturæ, commendatur. *Ibidem.*

XII. Vulgò hoc ferunt: quod velis prolixè facere; aliquando ne feceris. *Lib. III. de virginibus.* i. e. moderatio est adhibenda in iis, quæ quàm maxime cupimus: quia nimia contentio non est diuturna.

XIII. Man-

XIII. Mansuetus homo, cordis est Medicus. *Prefat. in Psalm.*

XIV. Ne A V E. quidem alicui dicere. *Lib. I. Offic. cap. XXXIX. i. e.* planè abhorre ab alicujus commercio.

XV. Advertimus: quòd, in acquirendis consiliis, plurimùm adjungat vitæ probitas, virtutum prærogativa, benevolentiae usus, frugalitatis gratia. Quis enim, in cæno, fontem requirat? Quis, à turbida aqua, potum petat? Itaq; ubi luxuria est, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio: quis inde aliquid sibi hauriendum existimet? *Lib. II. Offic. cap. XII.*

XVI. Vetus dictum: *Advesce n- nus esse*: ut vita tua quandam picturam exprimat, eandem fervans imaginem, quam acceperat, *Epistolâ VIII.*

XVII. Ventis ipsis mobilior, & fluctibus inquietior. *Serm. de Elia & jejuniis.*

XVIII. Tanquam in proverbio, si quis reti subtili haurire cupiat aquam; sic, qui malitiam, ex pectoribus hominum, conatur auferre. *Lib.*

R 7

de

de arca Noë, cap. XXII. Usurpatur de difficili ac irrita labore.

XIX. Non erit longi subsellii ista judicatio. *Epistola XLI. i. e.* non est magni momenti controversia.

XX. Aurâ quâdam pasci solet, ut cicadas pasci ajunt. *Epist. VI.* Usurpatur de homine auræ popularis cupidissimo.

XXI. Est etiam in ipso motu, gestu, incesu, tenenda verecundia. Habitus enim mentis, in corporis statu, cernitur. *Lib. I. Offic. cap. XVIII.*

XXII. Noli respondere irato, ad iracundiam ejus; sive imprudenti, ad imprudentiam ejus. *Lib. I. Officior. cap. XXI.*

XXIII. Non illa perfecta est liberalitas: si jactantiæ causâ magis, quàm misericordiæ, largiaris. Adfectus tuus nomen imponit operi tuo. *Lib. I. Offic. cap. XXX.*

XXIV. Sunt plerique viri boni, tenues censu, contenti quidem exiguo ad sui usum: sed non idonei ad subsidium

dium levandæ, paupertatis alienæ.

Lib. II. Offic. cap. XV.

XXV. Duplex est liberalitas: una, quæ subsidio rei adjuvat, id est, usu pecuniæ: altera, quæ, operarum collatione impenditur. *Lib. II. Offic. cap. XV.* Non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus. *Lib. II. Offic. cap. XVI.*

III.

Ex

AUGUSTINO,

Episcopo Hipponensi,
in Africa:

*qui floruit circa annum
Christi CCCLXXXV.*

I. **Q**ui fecit ex Saulo Paulum;
ipse fecit ex Simone Petrum.
Mutavit persecutorem; mutavit &
peccatorem. *Sermone XXV. de Sanctis.*

II. Quid faciant agni; si titubant
arietes? *Sermone XXXIV. inter novis-
simè*

simè editos. i. e. Si majores errant, vel metuunt: mirum non est, si etiam minores errent, vel metuant.

III. Unusquisque peccator, & iniquus, jam de se desperans, jam habens quasi gladiatorium animum, ideo facit, quicquid vult: quia jam damnandus est. *Concione I. in Psalm. LXX.* Animum gladiatorium adpellat audacissimum & pertinacissimum.

IV. Lupo sævitia interdicitur: *lupus ad ovem captivus* ducitur. *Serm. XIV. de Sanctis.* Cum quis illi, in quem sæviebat, subjicitur.

V. Sunt, qui differunt conversionem; & fit in illis *vox corvina, cras, cras.* Corvus, de arca missus, non est reversus. Non quærit Deus dilationem, in voce corvina; sed confessionem in gemitu columbino. *In Ps. CI.*

VI. Quantum minatur Deus parieti dealbato? Quid est paries dealbatus, nisi hypocrisis? id est, simulatio: *foris lucet, intus lutum est.* *In Psalm. XCV.*

VII. Nunquam efficies, quamvis

vis arte *Pelasgâ* : ut simul à me victus, victorque discedas. *Lib. I. contra Academicos, cap. XIV.* Arte *Pelasgâ*, i. e. summâ calliditate, quâ pollebant *Pelasgi*.

VIII. Nolite, propter *amurcam*, quâ oculi vestri offenduntur, *torcularia detestari*. *Epist. CXXXVII. i. e.* Propter multos malos, non debemus paucos bonos odisse.

IX. Vidimus, multos ascendisse primitus quodammodo usque ad cœlos, & inter sidera nidum suum collocasse : postmodum autem cecidisse usque ad abyssos, & animas eorum, in malis, obstupuisse. Vidimus, stellas de cœlo cecidisse, ab impetu ferientis caudæ draconis. *Lib. Soliloq. cap. XXIX.*

X. Si qui credunt, & opera non faciunt, fidem *Dæmonum* videntur habere. *Serm. XXXVIII. de Sanctis.*

XI. Ab agno recedere, & à leone devorari. *Tractat. VII. in Joh. cap. I. i. e.* mansuetum fugere, & in hominem iracundissimum incidere.

XII. Sicut,

XII. Sicut, sub uno igne, aurum purgatur, palea fumat; & sub eadem tribula, stipula comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo oleum, cum amurca, confunditur, quia eodem pretii pondere exprimitur: ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat, exterminat. Unde, in eadem afflictione, mali Deum detestantur, atque blasphemant: boni autem precantur, & laudant. *Lib. I. de Civ. Dei, cap. VIII.*

XIII. Quicumque alicui cohaerent, latera ipsius dicuntur. Nam & de aliquibus hominibus solemus ita loqui: *bonus homo est; sed mala latera habet.* i.e. ipse quidem probitate praestat: sed maligni sunt, qui ei conjuncti sunt. *In Psalm. XLVII.*

XIV. Sunt multi sanè viventes Christiani: inter quos qui voluerit benè vivere, & inter ebriosos sobrius esse, & inter fornicarios castus esse, & inter consultores Mathematicorum,
Deum

Deum sinceriter colere, & nihil tale requirere; & inter peccatores nugacium theatrorum, noluerit ire, nisi ad Ecclesiam: patitur insultores ipsos Christianos, & verba aspera; & dicunt: tu magnus, tu justus, *tu es Elias, tu es Petrus*, tu de coelo venisti. *In Psalm. XC.*

XV. Aut ipsa Eva tibi est; aut tu illi serpens es. *In Psalm. XCIII. i. e.* Aut illa circumvenit te; aut tu decipis illam.

XVI. Ne faciamus, ut Mimi solent; & à Libero aquam, à Lymphis vinum optemus. *Lib. IV. de Civ. Dei, c. XXII.* In eos, qui præposterè aliquid postulant; ut: ab erudito, divitias; à divite, doctrinam: cùm esset à Libero, sive, Baccho, vinum optandum; & à Lymphis, sive, Nymphis, aqua.

XVII. Si quis nescius, in armamentis, quid cuique membro accommodatum sit, ocreâ velit caput contingi, & galeâ calceari; & murmuret, quòd non aptè conveniat &c. *Lib. III.*

Con-

Confess. cap. VII. In eos, qui ineptè rebus aliquibus utuntur, earumque ordinem invertunt.

XVIII. *Academicorum more, dubitat de omnibus, atque inter omnia fluctuat. Lib. I. Conf. cap. XIV.*

XIX. Lectis Platonis paucissimis libris, sic exarsi; ut omnes illas vellem anchoras rumpere; nisi me nonnullorum hominum existimatio commoveret. *Lib. de vita beata.* Omnes anchoras rumpere: i. e. impedimenta omnia removere: ut aliquid perficiatur.

XX. *Boni pedis homo:* id est: cuius adventus adfert aliquid felicitatis. *Epist. XLV.*

XXI. *Fœneus homo.* Lib. III. contra Acad. c. XVII. i. e. Qui nihil solidæ virtutis habet.

XXII. Hoc est, inquam, *Tuscanum illud iurgium*, quod dicit solet: cum quaestioni non ejus solutio, sed alterius objecti, videtur mederi. *Lib. III. contra Acad. cap. IV.*

XXIII. In

XXIII. In omni contractu, atque conversatione cum hominibus, satis est, servare unum hoc vulgare proverbium: nemini faciant, quod pati nolunt. *Lib. II. de ordine, cap. VIII.*

XXIV. *Similes facti sunt fabris arce Noe: qui aliis, ubi evaderent, præstiterunt; & ipsi diluvio perierunt. Serm. LXVI. de Diversis, & III. de Epiph.*

XXV. *Judæi similes facti sunt lapidibus milliariis: qui viam ostendunt; nec ambulare possunt. Eod. loco. Ita etiam alibi de Judæis loquitur: Aliis demonstrant vitæ fontem; & ipsi sunt mortui siccitate: factique sunt, tanquam lapides à milliario; qui viatoribus ambulanti- bus aliquid ostendunt, sed ipsi immobiles remanent. Serm. XXXIV. de temp.*

XXVI. Melius est, malum hominem perpeti: quam, per ignorantiam, bonum excludi. *Epist. CXLIX.*

XXVII. Falsa laus adulatoris, est oleum peccatoris. Propterea & homines,

mines, cùm falsâ laude aliquem irriserint, hoc esse de illo dicunt: *unxi illi caput. Comment. in Psal'm. CXL.*

XXVIII. Expergiscere! evigila! habeto cor formicæ. Æstatis tempus est: collige, quod tibi ad hyemem proffit. *Serm. CCXLV. de temp.*

XXIX. Delirare tibi videor, cùm hæc loquor: *anicularia* tibi videntur hæc verba. *Comment. in Ps. XXXVIII.*

XXX. Nodosas calumnias mihi proponunt, *nodum in scirpo, fissuram in plano, angulum in circulo* quærentes. *Comment. in Psalm. XXV.*

XXXI. Incomparabiliter salubrius est iræ, etiam justè pulsanti, non aperire penetræ cordis; quàm admittere, non facile recessuram, & *perventuram de surculo ad trabem*. Audet quippe imprudenter etiam crescere, citiùs, quàm putatur. *Epist. CXLIX.* De surculo ad trabem pervenire, est, exiguis initiis magnoperè crescere.

EX SIDONIO APOLLINARI. 401

IV.

Ex

SIDONIO APOL-
LINARI,

Episcopo Avernenfi:

*qui floruit circa annum
Christi CCCCXL.*

I. **C**Um sint in prætoriis leones;
in castris sunt lepores. *Lib. V.
epist. VII.* De illis, qui in securitate,
fortes; in periculis, timidi sunt.

II. Illic videbis *Ulyssis argutias,*
& Sinon's fallacias, & fidem Polymne-
storis, & pietatem Pygmalionis, adhibe-
ri. *Lib. V. epist. VII.* Respexit ad ver-
sum Virgilii: *Pygmalion scelere ante a-*
lios immmanior omnes. *Lib. I. Æneid.*

III. Temperat *Lucumonem* no-
strum *Tanaquil* sua. *Ibidem.* *Tanaquil,*
summæ prudentiæ fœmina, ferocien-
tem maritum suum, *Lucumonem,* de-
mulcere optimè nōrat.

IV. Hi, in foro, *Scythæ;* in cubi-
culo,

culo, viperæ; in convivio, scurræ; in exactiōibus, Harpyiæ. *Ibidem.*

V. Hi, in collocutionibus, sunt statua; in quæstionibus, bestia; ad intelligendum saxei. i. e. stupidissimi. *Ibidem.*

VI. Cavendum: ne in aliquos forsitan incidamus vituperones; quorum fugere lingvas, cote livoris naturaliter acuminatas, ne Demosthenes quidem Ciceronisq; sententiæ artifices, potuerunt. *Lib. VIII. epist. 1.*

VII. Videbis illic oculos Argi, & manus Briarëi, & perjuriam Laomedontis, adhiberi. *Lib. V. ep. VII.*

VIII. Hi, ad superbiendum, tauri; ad consumendum, Minotauri sunt. *Ibidem.* Est etiam, apud Petrum Blesensem, proverbium: *Crudelior Minotauro.*

IX. Proverbialiter celebre est: *Sape mora melior est.* *Lib. II. ep. VI.*

X. Hoc fabricatu, *Dædalus* noster amicitiarum culmen ædificat: qui, sicut sodalibus, velut *Thesens*, inter secunda sociatur: sic ab iis postmodò,

EX SIDONIO APOLLINARI. 403
modò, *velut Petrus*, inter aduersa dilabitur. Lib. III. ep. XIII.

XI. Quapropter (si tamen tetrica sunt amcenanda jocularibus) volo paginam glorioso, id est, quasi *Thrasoniano* fine, concludere, *Plantini Pyrgopolynicis imitator*. Lib. I. Ep. ult. in fine. Sic etiam scribit Paulinus: Ego *flatum Thrasonis ructantis effugio*. *Epist. VII. ad Severum*.

XII. Si supradicti confirmor ad sensu: Athenis loqvaciore ero. *Lib. VIII. Epist. VI.*

XIII. *Fluminibus aquas, sylvis ligna* transmittere. Lib. III. Epist. III. i. e. Dare locupletioribus, qui non indigent. Sic etiam Petrus Blesensis: *Divitiæ accumulatur divitibus; nec est, qui respiciat ad inopem, & mendicum. Elisæus implebat vasa vacua; &, deficientibus vasis vacuis, stetit oleum: in curia verò contemnuntur vasa vacua; & plena implentur; ligna in sylvas deferuntur*. *Epist. XIV.*

XIV. Ad horum consilia, Phalaris cruentior, Mida cupidior, Ancus
S jactan-

jactantior, Tarquinius superbior, Tiberius callidior, Cajus periculosior, Claudius socordior, Nero impurior, Galba avarior, Otho audacior, Vitellius sumtuosior, Domitianus truculentior redderetur. *Lib. V. Ep. VII. De consiliis pessimis.*

XV. Nos, vestigia doctrinæ ipsius adorantes, *coram canoro cygno, rancum anserem profitemur.* i. e. Illo eloquentiâ & eruditione sumus longè inferiores. *Ad Pontium Leontium, in Carm.*

XVI. Pransuro, *Sardanapalicum in morem*, panis datur è Leontina fegete confectus; insuper dapes cultæ ferculis cultioribus adponuntur; spumant falerno gemmæ capaces; inque crystallis calent unguenta glacialibus. *Lib. II. Ep. XIII.*

XVII. Differre iter, usque ad adventum hirundineum, vel ciconinum; & Jani Numæq; ningvidos menses (i. e. *Januarium & Februarium nivibus plenos*) in otio fuliginoso, seu tunicata quiete, transmittere. *Lib. II. Epist. ult.*

XVIII. Hi

EX SIDONIO APOLLINARI. 405

XVIII. Hi ad ignoscendum ferrei;
ad amicitias pardi; (i. e. *multiformes*,
ut pardi sunt multicolores) ad fallen-
dum vulpes. *Lib. V. Epist. VII.* De ho-
mine implacabili dicitur; quòd sit
ad ignoscendum ferreus.

Talis non erat Ludovicus XII. Gal-
liæ Rex, qui: *Privati*, ait, *personam*
exui. Rex quippe constitutus hac con-
vicia neque curo; neque ulciscor.

Neque Fridericus III. Imperator,
qui: *An nescitis*, inquit, *Principes, quasi*
signum, ad sagittas expositos? *Turres*
enim præaltas fulgura feriunt; humi-
lia tecta prætereunt.

Neque Alphonsus, Aragonum
Rex, qui dicere est solitus: *Regium*
est: non solum benefacere; sed etiam ma-
le patienter audire.

XIX. Has meas lucubrationes
non recensendas, (hoc enim parum
est) sed defecandas, ut ajunt, liman-
dasque, tibi commisi; sciens, te immo-
dicum esse fautorem non studiorum
modò, verum etiam studiosorum.
Lib. I. Epist. I.

S 2

XX. Tunc

XX. Tune hæsitantem, in publicum famæ pelagus, impellis. *Ibidem.* i. e. Moves me : ut aliquid publicè edam.

XXI. Contentus sum lucubrationum mearum opinione : de qua mihi jam pridem, *in portu judicii publici, post lividulorum latratuum scyllas enavigatas*, sufficientis gloriæ anchora fidit. *Ibidem.* i. e. jam, libris meis, superavi invidorum judicia, & præclaram famam obtinui.

XXII. Matrona, cui debuit domi forisq; persona minor obsequium, major officium, æqualis adfectum. *Lib. II. Epist. VIII.*

XXIII. Divites sibi, de molibus facultatum congregatarum, deque congestis jam ingravescentis argenti struib; blandiuntur. *Lib. VIII. Ep. VII.*

XXIV. Prati comantis exuvias, hybernis novalibus, non ut eqves, sed ut bubulcus, abscondis. *Lib. VIII. Epist. VIII.* i. e. Cùm sis nobilis; exerces labores rusticos.

XXV. Agrum si mediocriter colas;

EX SIDONIO APOLLINARI. 407
las; possides: si nimum; possideris.
Ibidem.

XXVI. Me Cincinnati Dictatoris vita delectat. *Ibidem.* i. e. Placet mihi vita rustica, ut Quintio Cincinnato; qui, ab aratro, ad Romae Dictaturam, vocatus fuit.

XXVII. Nobilium studiorum artibus repudiatis, sola te propagandæ rei familiaris urtica sollicitat. *Ibidem.*

XXVIII. Catonianum superciliosæ frontis arbitrium moderari. *Lib. VIII. Ep. IX.* i. e. non rigide rem aliquam pensitare.

XXIX. Ingentes præconiorum titulos moribus meis adplicas. Sed si pudoris nostri fecisses utcumque rationem: Simachianum illud te cogitare, par fuerat: ut vera laus ornat; ita falsa castigat. *Lib. VIII. Ep. X.*

XXX. Scias volo: Christi dextera opitulante, me nunquam toleraturum animi servitutem. *Lib. VII. Ep. ult.*

XXXI. Repetitis laxemus vela
S; tur-

turbinibus: &, qui veluti maria trans-
misimus, hoc quasi stagnum pernavige-
mus. i. e. superatis periculis majori-
bus, etiam minora adgrediamur. *Lib. VIII. Ep. I.*

XXXII. Impolitum hunc, semi-
crudumque, &, ut ajunt, tanquam mu-
steum librum, plus desiderii tui, quàm
officii mei memor, obtuli. *Lib. VIII.
Epist. III.*

XXXIII. Tua epistola, à medi-
tationis incude, tanquam adhuc cali-
da, deferebatur. *Lib. VIII. Ep. IV.*

XXXIV. Vivet ilicet in poste-
rum nominis tui gloria. Nam si qua
nostris qualitercunque gloria, gra-
tia, reverentia, fides, chartulis inest:
sciat ætas, volo, posthuma nihil fide
tuâ firmitus, sententiâ justius, patientiâ
tolerantius, consilio gravius, col-
loquio jucundius fuisse. *Lib. VIII.
Epist. V.*

V.

Ex

PETRO DAMIANI,

Episcopo Ostiensi:

qui vixit circa annum

Christi MLX.

I. **Q**ui, Monachico habitu, carnis delectationem quærunt; *ex arido ligno succum exprimere, gestiunt. Serm. LXXIII.*

II. Ego, ego, proh dolor! *tanquam alter Samson, effosis oculis, non frontis, sed cordis, aurarum secularium molam volvo. i. e. gloriam mundanam superbè capto. Epist. IX.*

III. Nonnulli dum honores Ecclesiasticos, *Ætneis vaporibus astuantes*, ambiunt; in clientelam potentium, tanquam servos se dedititios, obscenè substernunt. *Prolog. Opusculi XXII. Ætneis vaporibus astuantes: id est, fervidissimè & flagrantissimè.*

IV. Demosthenem, in affluentia sermonis, æquare. *Lib. V. Ep. V.*

S 4

V. Inor-

V. Inordinata pietas nutrit impietatem: & *timida manus Medici* vulnus auget ægroti. Facit enim exuberare putredinem: dum non secando, sed palpando, quotidiè superducit vulnuscule cicatricem. *Opusc. LVII. cap. I.*

VI. Quantos hodiè cernimus! qui, si de virtutibus admirabilis hujus viri (*nimirum Barbatiani*) vel ultimam particulam attingere potuissent; *ad coelum se, in superbiæ cornibus, exaltarent.* In magnos rerum suarum jactatores. *Serm. LXVI.*

VII. Qvis, de vena ferri, fabricet claritatem argenti? Sicut mala arbor nunquam bona germinat poma: ita de superba voluntate, quæ procul dubio mala est, nunquã mera, vel incontaminata procedit humilitas. *Lib. VI. Ep. IX.*

VIII. Erat vir beatissimus (*Romualdus*) quasi unus de Seraphim: quia & ipse flamma Divini amoris incomparabiliter æstuabat; & alios, quocumque pergeret, sanctæ prædicationis facibus incēdebat. *De vita Romualdi, c. XXXV.*

IX. Quod si nos vel pudore, vel
metu,

EX PETRO DAMIANI. 411

metu, hæc declinare contemnimus:
mox inhumani, rigidi, &, *quos Hircana*
genuerint tigres, saxei judicabimur.
Opusc. XX. cap. VI. Usurpatur de ho-
minibus crudelissimis.

X. Hos pestiferæ vagationis mor-
bus, & (si dicere liceat) quasi *Ver-*
tumnus, quoddam scilicet Dæmo-
niorum genus, *exagitat.* *Opusc. XII.*
cap. XXIV. Dicitur de maximè incon-
stantibus.

XI. Reparetur *nunc aureum A-*
postolorum seculorum: &, præidente
vestrâ prudentiâ, Ecclesiastica reslo-
reat disciplina. *Epistolâ I.*

XII. Cùm, in censura silentii, &
in abjectæ vestis auctoritate, *Antonium*
præbeas: ne, in levitate risus, vel face-
tæ dicacitatis urbanitate, *Democritum*
ostendas. *Opusc. XV. cap. XXVII.*

XIII. Ab eo, *tanquam per Sibyl-*
linum os, præstolamur oraculum. O-
pusc. XXII. cap. I. Dicitur de homine
circumspectissimo ac prudentissimo.

XIV. Mens mea, tot oppressa ne-
gotiis, *more silicis obdurata est.* *Lib. I.*
Ep. XII. S 5 XV. Re-

XV. Repugnantibus *Phalaricâ* spirat *animadversione* vindictam. De homine vindictæ cupidissimo. Nota est Phalaridis, Agrigentinorum tyranni, crudelitas. *Opusc. XXI. cap. II.*

XVI. Hoc *ferreo seculo*, & ii, qui regimine digni sunt, fugiunt; & ii, qui meritò reprobandi sunt, irreverenter accedunt. *Opusc. XXII. cap. IV.*

XVII. Sunt, qui ad aliena quidem acqvirenda non inhiant, sed, quæ sua sunt, tenaci custodiâ, *tangvam Cereris sacra, conservant*. i. e. religiosâ diligentia custodiunt. *Opusc. XXX. c. III.*

XVIII. Quicumq; te, ad hoc flagitium, impulerunt; *filiis Caipha, primogeniti Satanae*, adjutores Antichristi, adversarii veritatis, dicendi sunt. *Lib. I. Epist. XX.*

XIX. Nonnulli, aliis jejunantibus, tanto livoris, atqve invidiæ felle torquentur. ut illorum salutem sibimet in perniciem vertant, & ut ita loquar, *per alieni profectus scalam, ipsi in precipitum ruant*. i. e. ex aliorum probitate, improbiorem fieri. *Opuscul. XLIX. cap. IV.*

XX. Hic

EX PETRO DAMIANI. 413

XX. Hic tyrannus mihi *Neroniana* semper pietate condoluit: qui me colaphizando demulsit: qui me certè aqvilino, ut ita loquar, ungue palpa-
vit. *Epist. X.*

VI.

Ex

BERNHARDO,

Abbate primo Cœnobii

Clarevallensis:

qui floruit anno Christi
CLCXXX.

I. **S** *Aulus conversus est in Paulum.*
Serm. II. de conv. Pauli.

II. *Deus de Saule, quondam per-*
fecutore, fecit Paulum prædicatorem.
Cap. V. ad milites templi.

III. *Magna exspectanti ridicu-*
lum produciunt murem. Epist. CLIII.

IV. *Non amat veritas angulos,*
Serm. VI. de Ascensione.

V. *Valet ex æquo currere cum Gi-*
gante, dulcedine cum melle contende-
re, le-

S 6

re, le-

re, levitate cum apro, candore cum lilio, claritate cum sole. *Serm. XXVIII. in Cant.*

VI. Hic est, qui manus nostras proprio cingulo adligat, & ut dicitur, baculo nostro nos cædit. *Serm. V. in Quadrages. de Satana, per carnem nostram, se viente.*

VII. Inveteratam rubiginem si tentes abradere: nec summis saltem digitis contingi patientur. *Epist. CLII.*

VIII. Volo proferre plurima in incertum, & esse quasi aërem verberans. *Epist. CLI.*

IX. Vale-facias (valedicas) inveteratæ consuetudini, innatæq; affectioni. Id quidem durum; si tuis adtemperaveris viribus: tale erit, ac si, uno digitorum tuorum, torrentis impetum sistere, aut ipsum denuò coneris Jordanem convertere retrorsum &c. *Serm. LXXXV. in Cantic.*

X. Dulcem buccellam plenis; ut ajunt, buccis admittere. i. e. rem gratam avidissimè accipere. *Epist. CCLXV.*

XI. Oculos campi metuere. i. e.
omnia

omnia timere, &, nullibi securum se
esse, existimare. *Epist. XLII.*

XII. Qui hoc facit, quod nemo;
(sc. facit) mirantur omnes. *Lib. I. de
confid.* Erat frequens Bernhardi sen-
tentia, in singularitatis amatores.

XIII. Circuire mare & aridam.
Epist. CXXVI.

XIV. Si juncis fragilibus cedit
infirmetas nostra: quomodo telis resi-
steret? Videtis, quomodo ad nihilum
reducti simus. Et, sicut solent mulie-
res, aut parvuli, pugnantes laudamus
alios, pugnare ipsi non possumus. *Ser-
mone de S. Clemente.*

XV. Goliath Goliath gladio peri-
mere. *Serm. de David & Golia. i. e.*
Adversarium argumentis propriis
convincere.

XVI. Tam hoc necessarium est,
quam sol ipse mortalibus. *Lib. III. de
Confid.*

XVII. Inter duas, ut dicitur, fellas
corrui. *Epist. CXIV. i. e.* Inter duos ad-
jutores perit: ut à neutro auxilium
accipiat.

XVIII. Nescit sanus, quid sentiat æger; aut plenus, quid patiatur jejunos. *Tractat. de gradib. humil. initio.*

XIX. Confixus est, ut dicitur, usque ad cubitos, in limo profundæ improbitatis. *Serm. de quadr. deb. De homine improbisimo.*

XX. Illum audire vellem, qui calammum lingvæ tingeret in sanguine cordis: (qui tantum ea loqueretur, quæ sincerus amor loqui jubet) quia tunc vera & veneranda doctrina est; cum, quæ lingua loquitur, conscientia dicat, charitas suggerit. *Opusculo de charitate, cap. I.*

XXI. Sui seculi chimæra. *Epist.*

CCXLIX. In hominem monstruosâ varietate laborantem, & varios mores induentem.

XXII. Si famelicum hominem apertis faucibus, inflatis vento buccis haurire aërem, cernas, quo quasi consulat fami: nonne credas insanire? *Tractatu de diligendo Deo. Vento fami consulere velle, usurpari potest de illis, qui inania quærun & adhibent remedia.*

XXIII.

XXIII. Ne unum quidem jota
rescribit. *Serm. I. in Cantic.*

XXIV. Cum non potuit ingre-
di per ostium; fodit sibi cuniculum ar-
genteo, ut ajunt, sarculo. *Ep. CCXXXIV.*
i. e. donis ad

XXV. Vobis laqueum nectitis,
quo teneamini. *Epist. CXX.*

XXVI. Si quis fregerit nucent:
intus inveniet, quod jucundius est.
Serm. II. Dom. post Epiph.

XXVII. Sine fundamento ædifi-
care. *Lib. II. de Confid.*

XXVIII. Quid amplius requiris?
exhaustus est fons: & tu quaris aquam
in sicco. *Epist. LXXXVII.*

XXIX. Non corpore tantum, sed
etiam corde, in *Aegyptum* redire, se-
culi hujus oblectamenta sectando.
Serm. II. de resurrect. i. e. Post poeniten-
tiam in magna relabi peccata.

XXX. Illi caput columbæ, cauda
scorpionis est. *Epist. CLVI. i. e. Sancti-*
tatem & simplicitatem primâ fronte
præ se tulit; sed finiit dolis & vafricie.

XXXI. Lanam quærit ovis à ca-
pra.

IIVXXX

pra. *Epist. LXXXVI.* i. e. petit aliquid, quo ipse abundat, ab alio pauperiore.

XXXII. Nec verò locum hunc reputes corporalem paradysum voluptatis internæ. *De conversione ad Clericos, cap. XXI.*

XXXIII. Festucam suspicari trabem, & scintillam putare fornacem. *Serm. XXIX. in Cant. i. e. exilia putare grandia.*

XXXIV. Cùm ergo Deo donavero, quicquid sum, quicquid possum: nonne istud sic est; sicut stella ad solem, gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum? *Sermone de quadruplici debito.* Usurpatur de valdè inæqualibus.

XXXV. Insanissimè tibi, tanquam sanus, exultas; & aliis vanissimè, trabem portans, de festucis insultas. *Apologia ad Gulielmum Abbatem.* Quadratur in eos, qui, graviorib⁹ criminibus irretiti, severissimè, in aliis, arguunt leviora.

XXXVI. Talis est, ut ei, simpliciter dicere, jurare sit. *Epist. XXXVIII.* Usurpatur de fide dignissimo.

XXXVII.

XXXVII. De una filia, duos generos statuisti facere. *Serm. de quadruplici debito.* Usurpatur de illis, qui re unicâ duobus volunt satisfacere.

XXXVIII. Leonem evasimus: sed incidimus in draconem. *Ep. CLXXXIX.* Usurpatur de illis, qui, ex uno periculo magno, in aliud æquè magnum incidunt.

XXXIX. Impetitus sagittis, dimico festucis. *Epist. LXXXI. i. e.* Non possum æqualibus viribus resistere.

XL. Molendinum quærit aquam à furno. *Epist. VIII.* Usurpatur: cum expertus inexpertum consulit, & dives aliquid à paupere petit.

XLI. Multi multa sciunt; & se ipsos nesciunt: alios inspiciunt; & se ipsos deserunt. Deum quærunť, per ista exteriora, deferentes sua interiora, quibus interior est Deus. Idcirco ab exterioribus, redeam ad interiora; & ab interioribus, ad superiora adscendam: ut possim cognoscere: unde veniam? aut quò vadam? quid sim? vel unde sim? & ita, per cognitionem mei, valeam

leam pervenire ad cognitionem Dei.
Meditation. devotis. cap. I.

XLII. Teneamus Deum in memoria; portemus in conscientia; & ubique præsentem veneremur. *Ibidem, cap. I.*

XLIII. Beata anima! apud quam Deus requiem invenit, & in cujus tabernaculo requiescit. *Ibidem, cap. I.*

XLIV. Quadam vi Divinâ fiet, ut cuique sua opera bona, vel mala, in memoriam revocentur, & mentis intuitu, mirâ celeritate, cernantur: ut accuset, vel excuset scientia conscientiam: atque simul & singuli, & omnes judicentur.

Judicium faciet gestorum quisque suorum,

cunctaq; cunctorum cunctis arcana patebunt.

Quod enim nunc confiteri erubescimus; tunc omnibus manifestabitur: & quicquid hîc dissimulando palparamus; totum illic vindex flamma comburet. *Ibidem cap. II.*

XLV. Quantò diutiùs Deus nos exspe-

expectat, ut emendemus: tantò districtiùs judicabit; si neglexerimus.

Ibid. cap. II.

XLVI. Unde superbit homo? cuius conceptio culpa, nasci poena, mori angustia. *Ibid. cap. III.*

XLVII. Justitia Dei aliud judicare non potest; nisi quod merentur opera nostra. *Ibid. cap. III.*

XLVIII. Bonum & malum, vita & mors, ante nos sunt posita: ut, ad quod voluerimus, manum extendamus. Si tormenta non terrent nos; saltem invitent præmia. *Ibid. cap. III.*

XLIX. Verus pœnitens, semper in labore & dolore, dolet de præteritis, laborat pro futuris cavendis. Vera siquidem pœnitentia est, sine temporis intermissione de peccatis dolere. Sic plangit commissa, ut non committat plangenda. Irrisor namque est, & non verus pœnitens, qui adhuc agit, quod pœniteat. *Ibid. cap. IV.*

L. Adtende diligenter: quantum proficias, vel quantum deficias? qualis sis in moribus? & qualis in adfectibus?
quàm

quàm similis sis Deo? vel quàm dissimilis? *Ibid. cap. V.*

LI. Omne tempus, in quo de Deo non cogitas, hoc te computes perdisse. Omnis siquidem res, aliena est à nobis: tempus autem tantum nostrum est. Vaca ergo: & ubique fueris, tuus esto. *Ibid. cap. VI.*

LII. Quocunque loco consistis: cogitationes tuas iacta in Deum, & aliquid salutare in animo tuo versa. Omnis siquidem locus ad meditandum congruus est. Totâ ergo facilitate animum colligens, liberè tecum habitata, & in latitudine cordis tui, deambulans, ibidem cœnaculum grande stratum Christo exhibe. *Ibid. cap. VI.*

LIII. Mens sapientis semper est apud Deum. *Ibid. cap. VI.*

LIV. Honor Deo summus est, illum venerari, & imitari. *Ibid. cap. VI.*

LV. Oro quidem ore: sed, mente foris vagante, orationis fructu privor. Corpore sum interiùs; sed corde exteriùs: & ideò perdo, quod dico. Parum

rūm enim prodest, solā voce cantare,
sine cordis intentione. *Ibid. cap. VIII.*

LVI. Omnia, quæ ad usum vitæ
accepimus, ad usum culpæ converti-
mus. Quapropter justum est, ut, qui in
cunctis peccavimus, in cunctis feria-
mur. *Ibid. cap. XI.*

LVII. Deus, cui non abscondi-
tur, quicquid illicitum perpetratur, non
quærit vocis lenitatem, sed cordis pu-
ritatem. *Ibid. cap. XI.*

LVIII. Si me non inspicio; nescio
me ipsum; si autem me inspicio; tole-
rare me non possum. Tanta invenio
in me, quæ digna sunt reprehensione,
& confusione: & quantò me subtilius
& sæpius discutio; tantò plures abo-
minationes, in angulis cordis mei, in-
venio. *Ibidem, cap. XII.*

LIX. Peccata mea celare non pos-
sum; quoniam, quocunque vado, con-
scientia mea mecum est, secum por-
tans, quicquid in ea posui, sive bonum,
sive malum. Servat vivo, restituet de-
functo depositum, quod servandum
accepit. Si malè facis; adest illa: si au-
tem

tem benè facere videor, & inde extol-
lor; adest etiam illa. Adest vivo; se-
quitur mortuum: ubiq; mihi gloria, vel
confusio est inseparabilis; pro qualita-
te depositi. *Ibid. cap. XIII.*

LX. Tu, homo! quem fructum
expectas in mundo? cujus fructus
ruina est; cujus finis mors est. Uti-
nam sciperes, & intelligeres; ac no-
visima prudenter provideres! *Ibid.*
cap. XVII.

LXI. Quid prosunt hæc literæ ad-
monitionis? nisi deleas de libro con-
scientiæ tuæ literas mortis. Quid pro-
sunt hæc scripta, lecta & intellecta? ni-
si temetipsum legas, & intelligas. Da
ergo operam internæ lectioni; ut le-
gas, inspicias, & cognoscas te ipsum:
legas; ut diligas Deum; ut pugnes,
& vincas mundum &c.

Ibid. cap. XVII.

F I N I S.




Errata


Errata corrigenda.


Paginâ 12. Lineâ 14. pro, *ac*, legatur: *ad*. pag. 18. lin. 1. pro, *sui*, leg. *fui*. ibid. lin. 17. pro, *neque*, leg. *nec* *que*. ibid. lin. 18. pro, *operibus*, leg. *opibus*. lin. 19. pro, *vincturis*, leg. *juncturis*. pag. 42. lin. 21. pro, *continente*, leg. *confitente*. pag. 65. lin. ultimâ, pro, *vertus*, leg. *verus*. pag. 72. lin. 5. pro, *invalidus*, leg. *invalidis*. pag. 114. lin. 11. pro, *purificari*, leg. *purificati*. pag. 117. lin. 5. pro, *circumfsionem*, leg. *circumcisionem*. pag. 127. lin. 4. pro, *teterrimum*, leg. *teterrimam*. pag. 128. lin. 13. pro, *fuit*, leg. *fui*. pag. 131. lin. ult. pro, *quid*, leg. *qui*. pag. 164. lin. 6. pro, *sunt*, leg. *sint*. pag. 174. lin. 21. pro, *perpenderas*, leg. *pependeras*. pag. 188. lin. 10. pro, *Regnum*, leg. *Regum*. pag. 194. lin. 2. pro, *aridam*, leg. *aridum*. pag. 208. lin. 17. pro, *angusta*, leg. *angusta*. pag. 211. lin. 12. pro, *Divina*, leg. *Divino*. pag. 222. lin. 1. pro, *omissas*, leg. *emissas*. pag. 224. lin. 8. pro, *vita*, leg. *via*. pag. 236. lin. 1. pro, *data*, leg. *datum*. pag. 246. lin. 1. pro, *bonediçtus*, leg. *benediçtus*.


dictus. pag. 265. lin. 3. pro, solitudinem,
leg. sollicitudinem. ibid. lin. 16. pro, af-
ferre, leg. efferre. ibid. lin. 18. pro, suf-
ficit, leg. sufficiat. pag. 283. lin. 2. ad
vocem, pœnientiâ, adde: deplorentur.
pag. 290. lin. 17. pro, pœnientia, leg.
pœnitentia. pag. 295. lin. 8. pro, terra,
leg. terram. pag. 296. lin. 3. pro, mei,
leg. me. pag. 360. lin. penultimâ, post
vocem: Medullas, adde: liquat. pag.
391. lin. 5. pro, abhorre, leg. abhorrere.
pag. 394. lin. 9. pro, audacismum. leg.
audacissimum. pag. 396. lin. 6. pro,
pretii, leg. præli. pag. 398. lin. penult.
pro, objecti, leg. objectio.



















DILHERRI
Contemplationes

Th
4481